COMMENTATIO
DE CAVSSIS ET AVCTORIBVS
NARRATIONVM
DE
MVTATIS FORMIS
AD ILLVSTRANDVM MAXIME ET
DIIVDICANDVM
OPVS METAMORPHOSIVM OVIDIANVM

AVCTORE
IOANNE GVILELMO LVDOVICO
MELLMANN A. M.
CLASSIVM GRAECARVM ET LATINARVM
IN GYMNASIIS ACADEMIAE IMPERIALIS
MOSCOVIENSIS RECTORE DESIGNATO

LIPSIAE,
Apud PAVL. GOTTH. KVMMER
1786.

Res est a nostro iudicio ac sensu aliena, et quae mirationem facere possit, quod in *metamorphosium* seu rerum in alias formas mutatarum notionem incidisse videmus homines, *poëtas* autem antiquos adeo sibi placuisse in portentis illis exornandis et frequentandis, vt *Ouidius*, ex quo maxime hoc genus celebritatem nunc habet, non sine legentium delectatione *tantum opus* harum fabularum condere potuerit. *Eius* enim ingenio eas inuentas esse nemo facile opinetur, qui plurimas ex iis in *graecis* quoque scriptoribus occurrere atque etiam inter hos commemoratos esse meminerit, qui singulari industria hoc mythorum genus enarrassent; quibus multa saltem debere Ouidium admodum probabile videbitur, si repates, quo studio Romani omnino graecorum scriptorum bona sua fecerint. Itaque ad illustrandum locum in antiquitate poëtica nobilem, nec non ad regendum iudicium de Ouidiano Metamorphosium opere egregio et iucundissimo, haud inutiliter operam me collocaturum esse ratus, hac commentatione, quae specimen studiorum meorum in litteris humanioribus Viris Doctis exhibebit, illas quaestiones accuratius tra-

ctandas mihi propoſui: *qua tandem ratione et probabilitate, ſeu qua arte quoue conſilio, fingi aut credi potuerint rerum tam mirae in diuerſas naturas transformationes a*); nec minus: *quo ſtudio, et quorum, quibusque temporibus, ante Ouidium et poſt eum, metamorphoſium genus excultum ſit, ipſe autem quomodo repertis vſus eſſe videatur.*

PARS PRIOR.
CAVSSAE ET ORIGINES
METAMORPHOSIVM.

Primum locum ea occupabunt, quae ad *inuentionem metamorphoſium eiusque cauſſas* pertinent, non incommodo conſilio praemittenda. Nam ſi in ceteris multum plerumque iuuat cum *ipſis auctoribus* eorumque ingenio contraxiſſe aliquam familiaritatem, antequam ad eorum opera aut opiniones accedas, ea quidem vtilitate in hoc argumento caremus, quum primi metamorphoſium auctores fere in obſcuro lateant, nec de iis, niſi ipſorum figmentorum cognita ratione, ſtatuere quidquam tutumſit.

Illud autem, quod nunc maxime agendum diximus, ſcilicet, vt *cauſſas atque origines metamorphoſium* aperiamus, apparet niti recte inſtituta earum *interpretatione*, quamquam verendum mihi eſſe ſentio, ne inanem et vanam nonnullis operam ſuscepiſſe

a) Secutus ſum auctoritatem et conſilium praeceptoris aeternum colend', Illuſtris HEYNII, cuius haec verba ſunt in notis ad Apollod. III, 8, l. 657. *totum hoc genus mutatarum formarum ſingularem commentationem ſibi poſtulat, ſi in cauſſas inquirere velis.*

cepiſſe videar, ſi qui de ineptiis illis cogitent, quibus *Palaephatus* et *Heraclitus* qui dicuntur aliique veteres et recentiores *b*) hanc quoque mythologiae antiquae partem implerunt. At ſequenda tantum eſt, quam melioribus exemplis edocti ſumus, ſanior in hoc genere ratio, vt ne alieniſſima quaeque tenaci propoſito ad vnum quaſi modulum eandemque formulam v. c. ad hiſtorica facta aut allegorias detorquenda eſſe cenſeamus; vt contra quae eodem ſaepe mytho confuſa continentur denuo ſeiungere et ad ſuum quodque genus reuocare conemur: ita enim ſpes ſaltem eſt, de metamorphoſibus etiam accuratius quaedam conſtitui poſſe, minime vero dubium, hanc accuratiorem cognitionem ad iudicium de toto hoc genere ſummae vtilitatis futuram eſſe.

Ne vero ſtatim interpretatione ipſarum metamorphoſium diſtracti obruamur rerum copia, univerſe quaedam de *totius generis originibus* monenda ſunt, quae rectiori cum iudicio de ſingulis ſtatuere nos docebunt. Quemadmodum igitur multa *rerum phyſicarum phantasmata* vere mutatae formae varietatem oculis conſpiciendam praebent, ita haec illam *metamorphoſium notionem* primum animis informaſſe putanda ſunt. Praeter eas autem transformationes, quae iure ita dicuntur, ceteras aut *error* hominum aut ingenioſus *poëtarum luſus* addidit. *Error* maxime locum habuit in ipſo *phyſico genere*, tum etiam in *philoſophico*, item in *religionibus* et *ſuperſtitionibus*, ex quibus tamquam fontibus fluxiſſe plurimas metamorphoſes ipſa exempla docebunt.

 In-

b) Nota ſunt quidem *Banierii* conamina in fabulis Ouidianis illuſtrandis, nec tamen actum putabunt nos egiſſe ii, qui harum rerum intelligentes ſunt.

Intelligitur autem eiusmodi multa *inter plebem* nasci et vere *fidem inuenire* potuisse, praesertim quae aliqua *specie sensibus subiecta* et *metu religioso* niterentur, v. c. commenta de hominibus propter impietatem ira Deorum in bestias aut saxa mutatis; vt omnino maxima pars miraculorum inter omnes gentes metamorphosibus constat. Porro *sermonem antiquum* et inde ductum *poëticum* nonnullis metamorphosibus opportunitatem dedisse videbimus, quum tropice et symbolice dicta proprie intelligerentur; quam corruptelae labem veteres mythi vel ex deprauatione vulgi, qui eos sermonibus circumferret, trahere nonnunquam potuerunt. Iam vero *eaedem caussae* in *poëticis ingeniis* cogitandae sunt, quae data opera in fingendo notandaque rerum quauis similitudine occupata essent, vnde vel meris voculae alicuius sonis totas metamorphosium fabellas superstructas fuisse non adeo miramur. Accessit autem, quod omnes ducerentur *studio imitandi* ea quae apud alios placere et ornatui inseruire intelligerent, quo factum est, vt ad *lusus solennes* et *simili quauis occasione repetendos* abirent quoque metamorphoses; quas tandem satis iam has ob caussas frequentatas et mira sua specie inter cetera mythica figmenta eminentes, extiterunt, qui vndique collectas *separato* a ceteris fabulis quasi *cyclo* comprehenderent. Inter hos, quem vnum satis nouimus, Ouidius, vt summa varietate suum opus distingueret, in censum metamorphosium recepit multa, quae vix inter ceteros lusus expectaueris. Ea tamen neque ab huius libelli consilio aliena videbuntur, qui ad illustrandum opus Ouidianum maxime accommodatus est.

His

His praemissis, quum adhibitis interpretandi subsidiis recensus aliquis metamorphosium instituendus sit, ad *certas classes* redigere eas placet, ad *communem* plurium fabularum *originem* constitutas, easque iam non summa quidem et molesta in hoc argumento subtilitate, sic tamen dabimus distinctas, vt singula exempla mutuo se lumine illustrare visa sunt. Itaque repetemus et explicabimus metamorphoses I. *ex Philosophia veteri*; II. *ex religionibus*; III. *ex rebus physicis*; IIII. *ex certorum locorum natura*; V. *ex artis operibus*; VI. *ex sermone antiquo s. poëtico et symbolico*; VII. *ex factis poëtice exornatis*; VIII. *ex etymo et ambiguitate verborum*; sectionem vltimam, IX. occupabunt *transformationes hominum in bestias, plantas, montes, ex mera imitatione et lusu poëtico* originem ducentes; quod tamen genus ex altera demum libelli parte pleniorem lucem accipiet, quae omnino tempora et auctores harum fictionum distinguere docebit.

I. *Metamorphoses ex Philosophia veteri.*

Plurimas igitur metamorphoses suppeditant *Philosophemata vltimae antiquitatis* rudiora nugisque poëticis simillima. Eiusmodi nota quaedam ex opinionibus de omnium rerum primordiis et *elementis*; adde *Proteum c*) in omnes formas mutabilem, aquae primum omnia procreantis symbolum, et si quae aliae allegoricae metamorphoses ad mundi initia spectare videbuntur. Ceterum Ouidius, quum totum fere hoc philosophiae genus ad suum argumentum accommodari posse intelligeret, ex eo iucundissima quaeque delibauit, magis tamen ad

c) vide not. ad Georg. IV, 387.

oblectandum quam ad docendum rebus hinc inde congestis.

Celebres sunt metamorphosibus fabulosae *hominum origines*. Nimirum terra homines genitos dicere ignorantiae et antiquo adeo sermoni proprium; item illis, qui omnium rerum caussas in aqua aut limo quodam quaererent, consentaneum erat animantium *d*) quoque genus eodem modo procreatum credere; accessit probabilitas, quae ad ipsam experientiam in quibusdam animalibus *e*) redire videbatur; accessit etiam aliquid ex artis initiis, ex quo humanam speciem luto informare coepissent, vnde illae fabulae de hominibus ex terra quasi a quodam artifice effictis *f*). Alias hominum origines ostendit versus ille homericus *g*) ὀ γάρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτυ ὀδ' ἀπὸ πέτρης, in quo ἀπὸ πέτρης nescio an recte referas ad fabulam de Deucalione iactis lapidibus nouae sobolis parente facto, ἀπὸ δρυὸς autem ad poëticum commentum, quo feri homines arborum ramos inhabitantes nati ex iis dicerentur, vnde Virgilio *h*) *gens virum truncis et duro robore nata.* Potuit autem homericum illud vel ex prouerbiali dictione alio modo existere, vel ad ignotas fabulas accommodatius dici. Poëtis hinc alia solennia: homines ex Cae-

d) Cel. MEINERS *Gesch. d. Wissensch.* T. I. p. 151. 707.

e) cf. infra S. III.

f) Ovid. M. 75. Hesiod. E. 70.

g) Od. T. 163. cf. Hesiodi Th. 35. vbi v. Intt.

h) Aen. VIII. 315. v. ibi not. Ita et Hesiodus, Si vera est lectio, E. 145, χαλκεῖον γένος ἐκ μελιᾶν natum dixit. vbi v. Intt.

Caeli *i*) ſanguine nati, antiquiſſimi ſcilicet; Ouidio *k*) etiam ex ſanguine gigantum propter morum ſimilitudinem.

Rerum porro humanarum peruerſam quidem ſed notabilem aeſtimationem declarat ex Heſiodo *l*) decantata metamorphoſis, quam per *quatuor ſecula*, quae dicuntur, terrarum orbis cum ipſis incolis ſubierit. Simile quid in ſucceſſione Deorum, gigantum, heroum, hominum theogoniis celebrata. Sed ad illam humani generis terraeque ipſius creditam deprauationem plurimum fecit ſenſus malorum, quae bonis naturae mixta ſunt, accedente opinione de temporibus praeteritis magnificentiore, quam valde auxit illud, quod fama res acceptae et mythis celebratae nouam et mirabilem ſpeciem induere ſolebant, tota natura in melius mutata, hominibusque ad diuinam quandam ſpeciem euectis. Deteriorem vero conditionem iris Numinum atque poenis aſſignare maxime homini proprium, via igitur aperta ad Prometheum *m*) eiusque crimen, ad felicius omnino ſeculum, quod praeſtantiae cauſſa aureum dictum, pariter cum reliquis metallis comparatum, per gradus ad ferream plumbeamque ignobilitatem decreuit.

Non

i) Ill. HEYNE *de Theog. Heſiodi* in Commentt. ſoc. Gott. a. 79 T. II. *Videtur quoque poëtis ad originem rerum ſeu hominum antiquiſſimam declarandam accomodatum hoc viſum eſſe, vt eos v. c. Phaeacas dicerent ex guttis ſanguinis Caeli ortos. v. Apollon. IV. 992. et ibi Schol. Acuſilaum et Alcaeum laudat.*

k) Met. v. 157.

l) Heſ. E. aurea aetas 108. argentea 127. aenea 143. iam interponitur aetas heroum, 156. ferrea 174. hominum conditio futura 180 ſqq.

m) Non dico ad inueniendum mythum ſed ita interpretandum et adhibendum vt apud Heſiodum legitur.

Non incommode, inter alia philoſophemata, quae l. XV. Met. ad Pythagoram auctorem referuntur, attigit Ouidius metempſychoſin ſ. doctrinam de *animis humanis corpora mutantibus*. Eam vero noſtra diſputatio non capit, niſi quod pauca ſunt illa, quae de cauſſis certius affirmes paucorumque verborum. Sufficit autem intelligi nonnulla, quae inter rudiores homines huic opinioni fidem ac probabilitatem conciliare potuerint, ita enim ſubnatam eſſe eam aliquando, vt tot alia ſomnia, quacunque tandem notionum confuſione, non mirabimur. Adeoque ad uniuerſum de hoc genere iudicium iuuat tenuiſſe, quae iuſti harum rerum arbitri *n*) de ignorata mentis humanae brutorumque natura monuerunt, nec non de artibus *o*) vatum ac praeſtigiatorum, quibus effecerunt, vt animis ad Deos aut manes emigraſſe rerumque euentus et abſcondita multa didiciſſe viderentur. Sed periculoſum eſt vlterius ſapere velle, quamquam haud difficile, iis quae v. c. de Aegyptiis ingenioſius alii aut ineptius coniecerunt nouam probabilitatem addere. Quid enim? quum ritus antiquiſſimus condiendi cadauera locum dediſſet, vt animi aliquando redituri in ſua corpora crederen-

n) Cel. TIEDEMANN *im deutſchen Muſeum*, *Sept.* 1777. p. 248. ſqq. Cel. MEINERS *Geſchichte aller Religionen* cap. 21. §. 8. vbi recenſentur, quae etiam nunc paſſim inter barbaros obtinent de metempſychoſi opiniones.

o) Ita graecis ſimili figmento impoſuit Ariſteas Proconneſius, qui in Arimaſpeis ſuis multa mirabilia narraret, quae inter populos Scythicos et boreales animo huc locorum euagatus vidiſſet, φοιβόλαμπτος γενόμενος Herodoto. Poſt haec vero et alia, quae de ſe ipſe mentitus eſt, ceteras de eo fabulas ab aliis confictas eſſe non mirum. v. Herod. L. IV, 14. 15. Heſych. Mileſ. c. 2. alia exempla citat Weſſeling. ad l. c. Herodoti.

rentur, commodiusne temporis interuallum quam migrationibus iſtis per totam naturam expleri potuit? Cetera ornamenta acceſſerunt vbi primum metempſychoſis, maxime prudentium virorum ſtudio inter graecos, ad improbitatis poenas aut purgamenta et remunerationem virtutis accommodari coepit; nec miramur in plantas adeo et arbores graecorum *p*) etiam philoſophorum commento animos ablegatos eſſe, quum iidem plantas *q*) quoque ad animalium genus pertinere iudicauerint.

Verum, quod eſt accuratioris ex noſtro propoſito indaginis, *ex ipſa metempſychoſi pythagorica, eodem conſilio ad mores ſpectante, mutato tamen paululum genere dicendi* Doctiſſimo SCHNEIDERO *r*), ingenioſa coniectura, videbatur ortum duxiſſe cognatum genus, quod de *hominibus in beſtias mutatis* narrationes quasdam complectitur. Scilicet *ſacerdotes s*) *arripuiſſe hanc opportunitatem ratione aliqua ad ſenſus accommodata plebem a vitiis abſterrendi*, vt iniuſtitiae et impietatis poenas et incommoda in animalibus quibusdam elucere dicerent, de quibus ex hominibus mutata forma ad hanc conditionem redactis fabulas concinnabant. Obſeruatam igitur ab iis ſtudioſius animalium naturam et accommodate ad vitia et mores ſeculi exornatorum commentorum ſegetem in populum ſparſam, *quo exemplo, quum conſilium morale aliquando vtilitatem habere deſiis-*

p) De Empedocle conſtat. v. Cel. MEINERS *Geſch. d. Wiſſenſch.* I. 655. et fragm. ap. Aelianum. H. A. XII. 7.

q) Cel. MEINERS l. c. 660. ſqq. Ariſtot. de plantis, initio.

r) Monatsſchrift von Gedicke und Bieſter 1784. März p. 197. ſeqq.

s) ibid. p. 199.

desiisset, transitu facto ad meros lusus et artis ostentationem extiterint sequioris genii fabulae, quas suo loco recensebimus. Iam vero quo minus praeclarae Viri Doctissimi coniecturae accedamus, illud ab *animalium vita et moribus* depromtum docendi genus parum nos morabitur. Nempe pro eo militat metempsychosin adhibendi modus, fabularumque, quas aesopias dicunt, similis fere, licet praestantior multis momentis, ratio, quin etiam homines comparatione ad mores instituta ex animalibus certis natos aut in ea conuersos narrare, vel ante Pythagoram non insolitum, modo quis Circes medicamina et Simonidis lusum de mulierum varia origine cogitet; neque adeo mirum erit nobis, quomodo a metempsychosi ad transformanda corpora deflexerint, quum haec ratio per singula ire sineret, libertatemque faceret, notis etiam fabulis notaeque impietatis exemplis, v. c. Lycaonis, illud artificium adhibendi, quum ipsa doctrina, qua haec omnia nitebantur, non nisi in vniuersum de isto puniendi modo praeciperet. Sed haec si ostendunt quid fieri in hoc genere *potuerit*, vix tamen ulla sic statuendi necessitate credere nos iubent *vere fuisse* fabularum istarum eam celebritatem, eum vsum, quem Cl. Schneiderus innuit. Leuis aliqua probabilitatis species in hoc est, quod forte mirum fuisse dicas, si hoc fingendi genus, cuius iam antiquiora essent vestigia, Pythagorei in suum vsum non conuerterint. Scilicet vnicum occurrit exemplum *t*), quod citare non prorsus alienum sit, quum apud Aristotelem aquilae narratur senescenti rostrum ita incuruari, vt tandem fame ipsi pereundum sit, idcir-

t) Citat hoc Cl. SCHNEIDER; legitur ap. Arist. H. A. IX. 32.

idcirco, quod hoſpitem quondam ſuum, antequam ex homine transformaretur, iniuria affeciſſet. Quo largirer addi Lycaonem *u*) illum victimis humanis infamem, qui ob crudelitatem in lupum conuerſus ferebatur, quamquam variis modis aliter fabula ornata est, aliquid etiam nominis etymo tribuendum ſit, nec de tempore figmenti conſtet. At vero intelligitur, admodum ambiguam horum fidem eſſe et ſubleſtam in aſſerto illo, vbi non de *vna vel altera* fabella, annon morali conſilio inuenta aut adhibita ſit, quæritur; quum vel in iis exemplis, quæ ad *luſum* conficta eſſe non negaueris, *ſeverioris propoſiti ſpecies* ſubinde extiterit, ſicut v. c. thuris arbor ex pii cujusdam hominis ab impiis occiſi corpore nata eſſe perhibetur; *x*) quod adeo non mirum eſt in hoc genere, ut plurimarum metamorphoſium miracula niſi ab iratis Diis, ac poenæ loco, aut propitiis, beneficii nomine inſtituta, probabiliter fingi non poſſent. Cui autem plurimum forte tribuit V. Cl. *y*) nempe quod *luſus ipſe poëticus* in hoc

u) Ovidius conſilio fere morali tractat fabulam M. I. 163 - 240. Si res alias euicta datur, addas per me licet ciconias ob pietatem erga ſeniores ſui generis in homines conuerrendas, et in beatorum inſulis collocandas; quamquam mihi luſus ille eſt, ſi quis alius, et forte Alexandri Myndeſii, noti rerum naturel. ſcriptoris, ex quo narrat. Aelianus H. A, III. 23.

x) Geopon. XI, 15.

y) non ſatis aperte quidem ſed in his ac ſimilibus: p. 200. *Kein Theil* dieſer alten Philoſophie *hat ſich länger in der griechiſchen Mythologie erhalten, als die Verwandlungen. Aber es waren* nun *die Dichter* (antea ſacerdotes) *die ſich dieſes Stoffs annahmen. Die* erſte *Abſicht ging frühzeitig verlohren, man behielt nur noch wegen des Wunderbaren und Schicklichen zur Poeſie dieſe Lehrart bei* etc. p. 201. *Aus dieſen von Prieſtern geſammelten Aehnlichkeiten und darauf gegründeten Verwandlungen* entſtand eine eigene Gattung Fabeln. *Die Prieſter dichteten hinzu, erſannen ohne auf Aehnlichkeiten zu merken. Neuere Dichter folgten ohne Vnterſchied der alten Veberlieferung. etc.*

hoc genere, ad quem pleræque animalium et arborum traditæ origines manifesto redeunt, in *prævio ſerio harum fabularum uſu* fontes ſuos habeat, aut ſi vis argumento erit, *aliter naſci non potuerit*, hoc vereor, ut eam vim habiturum ſit, quum præterea cauſas ſatis idoneas minimeque dubias continuata diſputatio ſuis locis oſtendet.

Ipſa igitur *mutatorum in beſtias hominum* miracula ſtudioſius infra perſequemur, niſi quod illud unum commodiſſime ſtatim ſubiici videtur, nonnullas ex his fabulis ſpectare ad *malam Superſtitionem*, quae artibus magicis ignotisque herbarum et imprecationum viribus immenſam efficaciam tribuit. Huc redit, quod malignos et veneficos in eiusmodi animalia mutari vel hodie vulgus credit, quae aut peſſimi ominis *z*) habeantur, aut hominibus infeſta non tam ſuam naturam ſequi in nocendo, quam conſilio ac vindicta agi videantur, quod de lupis *a*) notum. Fingi etiam multa hoc nomine potuerunt, ut illa, quæ in fabulis *Circes* & *Medeæ*, *b*) in *Apuleio* etiam occurrunt; illud quoque, quod *Scythicæ mulieres*, *c*) quando velint, aves fiant, *Hyperborei* *d*) ſi in Tritoniacam paludem novies ſe immerſerint, quamquam in his fabulis ipſam fingendi occaſionem ignoramus, nec niſi in vniverſum eo feciſſe tenemus, quod et magicis artibus

z) De ſtrigibus Ov, Faſt. VI. 141 *ſiue igitur naſcuntur aues, ſeu carmine fiunt, Naeniaque in volucres Marſa figurat anus.*

a) O. M. VII. 270. medicinis ſuis Medea adhibet: *in virum ſoliti vultus mutare ferinos Ambigui profecta lupi.*

b) Aeſon iuuenis factus, etc. Met. VII.

c) O. M. XV. 359. *d*) ibid. 356. vbi v. Intt.

tibus et ignotis regionibus quaeuis miracula tribui ſolenne ſit. e)

II. *Metamorphoſes ex religionibus.*

Sunt etiam inter metamorphoſes, quibus notiones quaedam *ex religionibus et rebus ſacris* petitae lucem affundant. Statimque poſſis prouocare ad *myſteria* quaedam et teletas, ſi quidem eorum, quae in his ſacris tradebantur initiatis, ſimilitudo quaedam intercedebat cum iis, *f*) quae priſcam philoſophiam docuiſſe homines vidimus.

Sed videntur quoque metamorphoſes quaedam ad *ſaltationes ſacras* in nonnullis ſolennibus *g*) vſitatas pertinuiſſe, quibus certe multorum mythorum ortus atque ornamenta debemus. Nam duae ſaltem fabulae metamorphoſibus auctae ad mimos ſacros haud dubie referendæ ſunt. Altera quidem illa de *Aſcalapho*, *h*) qui apud inferos quum indicium feciſſet de malo punico Proſerpinæ guſtato, puniendus idcirco a Cerere, in bubonem mutatus fertur. (*ἀσκάλαφον ὄρνιθα, ὦτον*) Cuius transformationis quidem ortum ſic ſatis perſpicimus, ſcilicet eam nomini deberi, quod antiquitus ſeruatum huic indici, non ex illa demum metamorphoſi inditum fuiſſe, ex

e) Quid, ſi haec ipſa ex Arimaſpeis Ariſteae fluxerint? Saltem haec carmina effrenatae mentiendi libidinis exemplum praebuerunt.

f) cf. Cel. MEINERS *Vermiſchte philoſ. Schriften* 3. T. III. *über d. Myſterien d. Alten beſ. üb. d. Eleuſin. Geheimniſſe.* p. 301. ſq. de Eleus. mai. 304. doctr. de metempſych.

g) Cel. MEINERS l. c. p. 195. p. 271. Eleus. min.

h) O. M. V. 544. ſqq. et ibi nott.

ex eo probabile fit, quod eundem Afcalaphum faxo fuperimpofito punitum legimus, *i*) quo iure etiam feriori tempore nomen, quod auem ominofam notaret, metamorphofi excogitandae putamus locum dediffe. Addenda altera fabula de *puero Cereris irrifore k*) in ftellionem mutato, in qua metamorphofis vel ex confufione quadam cum priori, vel etiam ejus exemplo facta effe videtur. Scilicet notanda eft in nominibus fimilitudo, hic puer in ἀσκάλαβον mutatur, ille ἀσκάλαφος in avem fui nominis. Illud quaeri poteft, inventaene a facerdotibus *l*) illae metamorphofes an a poëtis fabulas facras exornantibus adjectae videantur. Atticum non effe figmentum illud de ftellione, neque adeo ex facris Eleufiniis, contendas forte ex Scholiafta Nicandri, *m*) qui ἀσκάλαβον f. ἀσκαλαβώτην attice γαλεώτην appellari tradidit.

Ceterum harum fabularum ratio declaratur amplius *miraculorum* omnino, quae diuinam potentiam declararent, in rebus geftis Deorum, inprimis autem Bacchi, frequentia. Nam vel hoc nomine metamorphofes mirifice placuiffe non obfcurum eft. Sic fabulas Naxicas *n*) de Baccho ornarunt

i) fic Apollodorus I. 5. 3. fed apud eundem II. 5. liberatur Afcalaphus Herculis beneficio, et fic tandem a Cerere, ne impunitus maneat, mutatur in ὦτον.

k) O. M. V. 451.

l) funt etiam metamorphofes Deorum, v. c. Iouis in draconem, in recenfu fabularum, quae in Eleufin. minn. dramatice repraefentari folebant. v. Cel. MEINERS l. l.

m) ad v. Alexiph. 128.

n) Aglaofthenes faltem in Naxicis rem expofuit, fec. Hyg. Poët. Aftr. XVII. et vt eiusmodi fabb. ad certum fere locum fpectare folent, haec fane ad infulam Naxum mythis bacchicis celebrem egregie accommodata eft.

runt *nautae Tyrrheni* (Pelasgi) in delphinos conversi. o) Deus nimirum in insulam naui arcessendus fuit, iter portentis carere non debuit; cetera, si poëticas rationes teneas, non aliter forte finxeris, quam in hymno Homerico et apud Ovidium leguntur. Huc referenda etiam metamorphosis Minyadum in vespertiliones ob spreta sacra Bacchica. p)

Notabilius est in hoc genere non tam mirum illud quam minime plerumque probandum, graecorum studium, quo *exterarum nationum religiones* quodammodo cum *domesticis* copulare instituerunt: quae observatio vt latissime patet, ita etiam ad rem nostram non uno modo facit. Ante omnia nota illa *Deorum mutatio in Aegypto facta* q) quum Typhonem fugerent, ex hac origine repetenda. Nam siue Aegyptios primum incesseret libido, vt fastu quodam elati ex suis institutis græcas religiones ortum cepisse dicerent, seu inter graecos illa iam opinio obtineret, neque omnino sine caussa, res etiam immutata est aliquando hac ratione, r) vt graeca numina, quum fuga in Aegyptum se recepissent, ibique varias animalium formas, vt laterent Typhonem, induerent, sub iis figuris, quae Aegypto propriae a graeca ratione abhorrere videbantur, coli

o) O. M. III. 582. sqq. p) M. IV. initio.

q) Antoninus Liberalis 28. O. M. V. 321. sqq.

r) Ill. HEYNE in nott ad Apollod. l. 6 3. *de fuga Deorum in Aegytum ingeniosum est inuentum pro illa aetate, quum poëta meminisset ibi Deos coli formis hieroglyphicis animantium* Banierius sine iudicio fabulam fecerat fundamentum cultus animal. ap. Aeg. refutatus in nott. ad vers. Germ. sed ibi quae de aetate recentissima deque consilio commenti praecipiuntur, scilicet circa Ptolemaeorum aetatem fabulam concinnatam esse vt cultus animalium a graecorum cauillatione liberaretur, omni probabilitate caret.

coepisse ingeniose et speciose iactaretur. Eodem modo et aliae religiones cum graecis conciliata sunt; Syrorum saltem *simulacrum semipiscimum* s) ex eadem fuga initium petiisse dictum, Venere prae timore in lacum se proiiciente, vnde hac forma coli patiatur. Magna autem fabularum varietas in singulis, t) nam secundum attributa Deorum, animalium etiam naturas et cultum apud Aegyptios, mutata multa et aptius a quibusdam, ab aliis ineptius, inuenta sunt. Sic quum aliis Iovem interritum et Minervam quoque remansisse consentaneum videretur, Ouidio *ipse dux gregis fit Iupiter*, propter Ammonem satis ingeniose. Apud eundem non miraberis, quod *Io*, u) lunae quondam inter Argiuos symbolum, cum Iside, quae itidem ad lunam spectaret Aegyptiis, comparata, cultu Aegyptiorum ac mutato nomine *Isis facta* esse perhibetur.

Huc spectat etiam, quod *ignotis numinibus fabulae ac fama a celebrioribus* peterentur, nominum quoque et attributorum permutatione facta, plerumque ita, vt domesticis adderentur peregrina, nonnunquam tamen peregrina domesticis innovata videas, vt in *Leucothea* et *Palaemone*, quae numina marina quum colerent graeci, a Phoenicibus forte accepta, *Ino* Cadmi et *Melicerta* x) ex mythis dome-

s) Ov. l.c. 331. *Pisce Venus latuit.* ad quae v. Intt. Etiam ad Syros Typhon ille maxime spectabat, Ill. HEYNE nott. ad Appollod. I. 6. 3. p. 75.

t) vide Iablonski Pantheon Aeg. V. c. 2. Ant. Lib. 28. coll. Ov. l. c.

u) M. I. 724-747. Ill. HEYNE ad Apollod. II. 1, 3.

x) O. M. IV. 539.

mesticis subiici coepere. *Britomartis Cretensium* s. Dictynna y) aut perperam a quibusdam, qui apud se illam coli perhibebant, *pro Diana* habita est, z) aut ex *cognomine* Dianae novum numen extitit, Nympha quaedam Britomartis; eamque narrabant quidam Minois amplexus fugientem in mare se praecipitasse, exceptam tamen retibus piscatoriis (hinc eam Dictynnam vocari) deportatam esse ad plurima loca, ubi nimirum eadem esset religio, tandem apud Aeginetas, quod ibi 'Αφαία cognomento dicebatur, abreptam ex hominum oculis a Diana et in Dearum numerum relatam; ob quam apotheosin fabula in metamorphosibus celebrari potuit. — Quum in Leuce insula, tumulo Achilleo nota, antiquitus 'Ορειλοχία ("Αρτεμις) coleretur, haec in *Iphigeniam* a) abiit, quam Achilli adiungere commodum videbatur.

Nota denique *Romanorum in suis religionibus cum graecis copulandis* solertia. *Quirino suo*, vt Herculi Heben Graeci coniugem dederant, *Oram* deam (ὥραν) adjunxerunt, b) nomine *Hersiliae* immutato, quam forte matrimonio iunctam Romulo fuisse fama et sacra quaedam testabantur — Apud Aricinos *Virbium* c) coli, heroem patrium, sed longaevitate obscurum nomen, non placuit; eum

 esse

y) Anton. Lib. 40. cf. Ill. HEYNII Excursus ad Cirin.

z) de Diana Ἰσώρα s. λιμναία Spartanorum Pausanias III. 14. ὅσαν οὐκ Ἄρτεμιν, βριτόμαρτιν δέ.

a) fortasse non opinione populari sed poëtico tantum commento, quod ornat fab. de Iphigenia ap. Ant. Lib. 27.

b) Ill. HEYNE in Exc. VII. ad L. VII. Aen. O. M. XIV. 851.

c) Ill. HEYNE Exc. VIII. ad Aen. VIII. O. M. XV. 544.

esse Hippolytum, quem forte rediuiuum iam canerent Graeci, *d*) opportunum erat fingere, vel propter nomen, quod bis virum (Vir bius) adeoque vitae redditum innuere videbatur, vel propter cognatas quoque fabulas, si cogites ritum religiosum equos a luco herois arcendi.

Si autem de *Diis in varias animalium hominumque formas mutatis e*) hic cogitet aliquis, pleraeque hujus generis fictiones pro re nata allegorice et etymologice instituta ad lusum poëticum spectant, quas accuratius recensere supersedemus, quum quo fructu ac delectu idoneo in iis feliciter versaturi simus non appareat. Nec de *apotheosi f*) seu mutatis in Deos heroibus multum disputare attinet; usus loquendi non simplex, inter varias caussas admiratio antiquitatis ac magnorum factorum, generis originem resque patrias illustrandi studium, pessima omnium adulatio. *Glaucum, g*) deum marinum Anthedonii suum quondam popularem fuisse, hominem maris peritum, aiebant, nec tamen tot de eo fabulae impediunt, quo minus forte, vt Proteus et Neptunus, maris olim symbolum fuerit.

III. Metamorphoses in rebus physicis.

Novam classem, qua plurium metamorphosium origines copulentur, perlustrabimus eam, quae *caussas physicas rerumque naturalium obseruationes*

d) cf. infra S. VII.

e) Silua exemplorum ap. Ov. M. VI. 103-126.

f) Cel. MEINERS *Geschichte aller Religionen* c. 6. inprimis §. 3. 9.

g) Ov. M. XIII. 945. Pausanias. X. 38.

nes recte praueque intellectas et institutas complectitur. In quibus pleraque quum essent satis vera quidem, sed consueta nimis et vulgaria, eo maxime artificio ab Ouidio collocata sunt, vt ceteris fidem addere viderentur, in his *Chamaeleon* versicolor *h*), *bombyces i*) *oua k*), *corallia l*). Majoris momenti ipsa *terrae facies mutata m*) continentis partibus a mari absorptis, nouis terris ex aquis mediis emergentibus, montibus subsidentibus nouisque molibus exaggeratis; flumina porro cursus et alueos mutantia, hiatibus abscondita denuoque edita in lucem *n*); fontes intermittentes, certis adeo temporum intervallis, quasi obturatis iterumque relaxatis faucibus. *o*)

Iam vero indicandae sunt origines *perversarum opinionum*, quae partim hominum imperitorum

h) O. M. XV. 411. Arist. H. A. II. 11.

i) O. M. XV. 372. *k*) ib. 385. *l*) ib. 416.

m) huc referas *diluuium Deucalioneum* M. I 2. v. 244. spectat ad *Thessaliam* v. Apollod. l. 7. 1. 2. Nott. p. 91. Cetera exempla sunt in oratione Pythagorae O. M. XV. De terris enascentibus v. Plin. II. f. 8. l. sqq.

n) *Arethusa* notissimum est et absurdissimum exemplum O. M. V. 576. Videtur fabula tedire ad nomen commune fontis Siciliae et alius cuiusdam, qui in Elide aut in Arcadia cum Alpheo coniunctus esset. De hoc vnicum locum noui in Seruianis ad Aen. III. 694. Plures fontes Arethusae nominati. Banierius V. X. p. 87. phoeniciam linguam adhibet.

o) fontium intermittentium plura genera notantur. 1) qui *aestate vel hieme* aut fluant largius aut exsiccentur. 2) qui *cum aestu maris* intumescant et residant, omnes, ni fallor, circa littora aut in insulis, adeoque caussa probabili reddenda, quam vide in *Trad. de Pline* T. l. *Remarques de Mr Bouguer.* ad cap. CIII. L. II. Harduinus tamen ad II. c. 97. n. 1. fontem eiusmodi notauit Leucis XL. a mari distantem. 3) qui *certis horarum intervallis*, singulis etiam horis, vicissitudines patiantur. Et non eodem semper impetu aquas fluere, neque in fontibus mirum; sed quod ad temporum argutias attinet, parum iis fidei tribuendum.

rum in rebus naturalibus *inſcitia* extiterunt, partim *ſtudio* auctorum, qui eas enarrarent mirabiliorem metamorphoſium ſpeciem adeptae ſunt. Rerum autem capita quaedam, et ſi quid ad Ouidium propius faciet, perſtrinxiſſe, argumento et propoſito noſtro ſufficere poſſe videbitur *p*).

Et *in hominibus* quidem neque hermaphroditorum neque *mutatarum in viros mulierum* portenta fabuloſa et ſuſpecta habuiſſe veteres, vel ex Plinio et Phlegonte Tralliano discas, vtroque ſuae aetatis exemplum ceteris adiiciente *q*). *Iphin* adeo apud Ouidium *r*), qui beneficio Iſidis tandem ſua potitur Ianthe, non ad aliorum tantum exemplorum ſimilitudinem confictum eſſe, ſed, mutatis nominibus paucisque aliis, veram hiſtoriam narrari, quae apud Phaeſtios in Creta inſula nouis quibusdam ſacris cauſſa fuerit, ex Antonino Liberali apertius intelligitur. Num in fabulis de *Tireſia s*) ſimiliter phyſica ratio ſpectanda ſit, alii viderint, mihi ſaltem, ex quo nasci illae potuerint, alias non occurrit.

Vt

p) Ne tamen auctoritate carerent, quae ad meum ſenſum in his rebus conſtitueram, rogavi illuſtrem BECKMANNUM, vt ad ſeuerius iudicium ea revocaret; cuius Viri me expertum eſſe facilitatem, grato animo praedicandam, adſperſae eius annotationes, quibus nonnulla melius conſtituuntur, indicant.

q) *Plinius* VII. c 4. *Ex feminis mutari in mares non eſt fabuloſum. Ipſe in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Coſſicium civem Thysdritanum.* Phlegon περὶ θαυμασιῶν c. 9.-- τοῦτον καὶ αὐτὸς ἐθεασάμην ἐν Λαοδικείᾳ τῆς Συρίας (tempore Traiani) vide not. Harduini ad Plin. l. c. Exemplum recentius ſuggerit Ill. BECKMANN in Iournal des Sauans 1692. p. 373.

r) O. M. IX. 785. cf. Ant. Lib. 17. λεύκιππος.

s) O. M. III, 326.

Vt ne vero probabilitas deeſſet illorum opinioni, qui *animalia ex limo* gigni crederent, ipſum adeo *Nilum t*), propter murium numerum poſt inundationes adauctum *u*), exempli loco citare in promtu fuit. Omnino quod in nonnullis animalibus veri propagationis modi obſeruationes fugerent, ipſi Philoſophi, tamquam in re explorata, miras eorum origines recenſuerunt *x*). *Ranae* Ouidio generantur ex *limo y*); alias *imbribus* etiam concreſcere creditae.

Quid autem, ex putredine et humoribus efferueſcentibus viva corpora naſci, quamdiu ipſa experientia in minoribus ſaltem animalculis docere viſa eſt? Nec tamen non miramur veterum opinionem de *apibus ex cadaveribus boum z*) procreandis. Nam ſi dicas, quod ſpecioſum eſt, odoribus appoſitis examina allici potuiſſe, exploratum eſt, apes auerſari cadauera. Et ſane multum abeſt, vt perſuaſum habeas hunc morem apes reparandi amiſſas vmquam *in vſu fuiſſe*; quin ſi *error* quidem hanc opinionem vulgo

 pri-

t) O. M. I. 422.

u) Diodorus Sic. init. l. I.

x) Ariſtot. H A· v. 19. naſcuntur animantia ex aquis et limo, ex rore in foliis, ex lignis, calore ſolis et vento adiuuante, ex nive adeo et igne. id v 15 ὅλως δὲ πάντα τὰ ὀϛρακώδη γίνεται αὐτόματα ἐν τῇ ἰλύι et VI. 15. ἀφύαι, piſciculi, immenia multitudine aquas implentes, ἐκ τῆς ἰλύος καὶ ἐκ τῆς ἄμμυ

y) O. M XV. 375. *Notum eſt ovula ranarum in paludibus limoſis depoſita excludi poſt tepidas pluvias, nec minus larvae tum ranarum iam perfecta metamorphoſi totis agminibus ex aquis emigrant, vt vel ſic imbribus naſci videantur* Ill. BECKMANN. --- Ranis pluit; hinc Aelianus: ὕσθην βατράχοις II. 57. Plin. X. c. 67. 86. Pleraque coeca et occulta origine proueniunt, etiam in quadrupedum genere, ſicut Salamandra animal lacerti figura ſtellati, numquam niſi magnis imbribus proueniens et ſerenitate deficiens.

z) O. M. XV. 364.

primum iniecit, cetera ornamenta *poëticis ſtudiis a)* deberi manifeſtum eſt. Monuit Illuſtris Beckmann, probabile ſibi fieri, qnod ſcirent apes ex vermibus transformari, vermes autem in cadaveribus gignerentur, ex his ipſis apes fieri creditas, ſeu quod pleraque inſecta eodem modo naſci ignorarent, ſeu quod eorum inſectorum, quae ex cadaueribus naſcerentur, figura ſimilitudinem apium referret — Scimus praeterea Simſonem Hebraeorum ex *ſceleto leonis exſiccato b)* fauos et mella recepiſſe, et vel eiusmodi experientia, haud rara forte iis locis, quae apibus ſilveſtribus abundant, ſuffeciſſe videtur ad opinionis commentum, ex ipſis cadaueribus apes excludi. Hinc miraculorum amore error multiplicatus eſt, vt *veſpas et crabrones c)* ex *equis* procreari luderent, ex aſinis *ſcarabaeos*, nam haec inſecta ad apium genus accedunt, iisque adeo ſimilis origo aſſignanda erat. Scarabaeus nimirum intelligendus, qui μηλολόνθης dicitur Ariſtoteli H. A. V. 18. de quo Plinius: *fodiunt ex eodem genere rutili et praegrandes ſcarabaei tellurem aridam fauosque paruae ac fiſtuloſae modo ſpongiae medicato melle fingunt.*

Habet Ouidius tritum illud de *vrſarum catulis d)* lambendo efformandis; memorat *Hyaenam e)* alternis annis ſexum mutare dictam, ex eo ſcilicet, quod

a) Plinius XI. 20 ſ. 23. praecepit, cadavera ſeu ventres bubulos recentes cum cum fimo obrui debere, et Virgil. loco omnino clauſo caeſum iuuencum exponendum. Omnium ineptiſſime narrat Antig. Caryſt. in Aegypto ſepeliri boves cornibus ſupra terram eminentibus, quae ſi reſecueris, euolare apum examina.

b) Iudic 14. 8. revertitur Simſon ad eundem locum poſt annuum ſpatium.

c) O. M. XV. 368. plin. l. c.

d) O. M. XV. 379.

quod propter formae aliquam ambiguitatem ſimul mas atque femina videretur; *Tarandum* neglexit, quem alii *f*) omnium locorum, in quibus degat, colorem pilis induere narrant. Non habeo, quod dicam de *anguibus ex ſpina dorſi* hominis mortui enascentibus *g*). *Cancri* vero quod mutari in *ſcorpiones* dicti ſunt, ad certum genus cancrorum et ſcorpionum ſpectat: cancri quidem intelligendi, quos *παγέρυς* vocabant, quod in aſperis locis (*πάγοις*) circa littora degerent; ſcorpii vero figura iis valde ſimiles itidem in littoribus reperiebantur. Iam habes ipſam figmenti cauſſam. Ornamentorum varietas pro exemplo eſſe poſſit. *Nicandro* igitur cancri illi, ſi in terram extracti inſidias piſcatorum ſenſerint, foramina et latibulas quaerunt, inque iis moriuntur, mortuis ex corporibus ſcorpii fiunt. Non ſatis intelligi puto Nicandri locum *h*): *τοὺς ἁλὸς ἐξερύυσι δελάσρεες ἰχθυβολῆες, Ἄυτικα δ' ἀγρευθέντες ἐνὶ γρώνῃσιν ἔδυσαν Μυοδόχοις* etc. niſi memineris ex Aeliano *i*), cancros iſtos muſicis accentibus et ſonorum ſuauitate ex antris ſuis in terram allectos in ſicco capi potuiſſe. Secundum *Plinium* ſit metamorphoſis *Sole cancri ſidus transeunte.* Mirum, quomodo extiterint *Ouidiana*: *chelas* cancro *demendas*, corpus ſub terra occultandum, ſic ſcorpiones enaſci

e) O. M. XV. 409. Plin. VIII. 44. error iam ab Ariſtotele detectus et refutatus.

f) Plin. VIII. 34. Antig. Caryſt. alii. Ceruinum genus, ex quo eſt Tarandus, pro aetate pilorum colores mutat apertius; hinc fabula adornata, cf. illuſtris BECKMANNI Comment. de *animalibus Germaniae antiquae* in *Büſchings Nachrichten von und aus Ruſſland.*

g) O. M. XV. 389. Plin. X. 86. Antig. Caryſt. 95. Aelianus H. A. I. 51.

h) Ther. 793.

i) Aelianus H. A. VI. 31.

ſci. Nam et in *chelis* Nicander ſimilitudinem quaerit *k*): *ἄλλοι δ'ἂυ (σκόρπιοι) ῥαιβοῖσιν ἰσήρεες ἄντα παγούροις Γυῖα βαρύνονται, βορεαὶ δ'ἐσκλήκασι Χηλαὶ Οἷα τε πετραίοισιν ἐπακριόωσι παγούροις.* Scholiaſtes Nicandri addit, naſci etiam ſcorpios ex *lignis putridis*, forte quod ibi lubenter deliteſcant; eodemque modo Ariſtoteles *l*) eos naſci dixit ex ſiſymbrio, herba in littoribus *m*) frequenti; cur itidem ex crocodilis mortuis *n*) procreari crediti ſint, certa veſtigia non inueni. Si quis *Phoenicem o*) auem tot miraculis celebratam circumſpiciat, ea primum auis *ſymbolicum* quid fuit; ſed etiam pro *vera* aui nonnumquam vendita, vt Herodoto et Romanis quoque, notante Plinio. Aues, quae *voces* aut *colores mutent* pro tempore, Ariſtoteles recenſet H. A. VII. 49. in his eſt *luſcinia*, quae in Italia duplici adeo nomine inſigniatur, (?) item *upupa*. De *cuculo* fabulam vel hodie vulgo probatam confuſe narrat et explicat Plinius X. 6. II. multo melius Ariſto-

k) Ther. 788.

l) ap. Ant. Caryſt. 23.

m) quod colligo ex cap. VII. lib. de plantis. *Ocimum*, quod odoris fragrantia ſcorpiones ex propinquo alliceret, generare eas dictum. v. Plin. XX. ſ. 48.

n) tradit hoc Antig. Car. ex Archelao Aegyptio, qui erat *τῶν ἐν ἐπιγράμμασι τὰ παράδοξα τῷ Πτολεμαίῳ ἐξηγημένων.* Si legas eiusdem epigramma de anguibus ex ſpina dorſi hominum mortuorum naſcentibus ſervatum ab eodem Antigono, intelliges hos ſcriptores ſtudioſe quaſi aenigmata locutos eſſe, quod omnino in hoc genere tenendum. Scorpiones ſane ipſa *cadauera* crocodilorum non inhabitarunt, ſed fortaſſe *exſiccatas* eorum *exuuias*, vt omnino latebras amant.

o) O. M. XV. 391. Illuſtris GATTERER in altera Commentationum, quibus *Theogoniae Aegyptiorum* lucem accendit, mythi quoque de Phoenice rationes ex cyclis et periodis Aegyptiorum explicat. vide Commentatt. Soc. Gott. T. VII. a. 84. et 85. p. 52. ſqq.

ſtoteles H. A. VI. 7; ſcilicet colorem mutat cuculus et accipitrum cuidam generi pennis fit ſimillimus, neque vtitur notis clamoribus, quibus facile dignoſcitur, niſi certo quodam anni tempore. Aues ex nigris albae fiunt frigidis zonis Ariſtoteli H. A. III. 12.

In narratiuncula de Pyramo et Thisbe *morus* ſanguine adſperſa baccas dehinc *atras* edit, antea candidi coloris fructus proferre ſolita *p*). Sed non opus eſt aduocare phyſicam notionem de *duobus mororum generibus*; neque enim figmenti ratio ſic melius conſtat, et valde dubium eſſe monet Illuſtris BECKMANN, an morus *baccis albis*, qua bombyces veſcuntur, illis iam temporibus innotuerit. Habes analogica quaedam in coruo *q*), qui ex candido ater factus dicitur poëtis, et in *fontibus amaris* Neſſi demum cruore aut lutris Proetidum vitiatis, Ceterum in *plantis et arboribus* eaedem olim mutationes obſeruatae, quibus hodie paulo plura exempla adderes. Scilicet eas cultus et ſoli diuerſitate mutari in melius aut degenerare, et quod ars perfecerat, amittere. Sed et hoc peruerſae obſervationis apud Ariſtot. de plantis c. 7. *Φασὶ πάλιν, ὡς ὁ σῖτος καὶ τὸ λῖνον μεταβάλλονται ἐις ἕτερον ἔιδος*, in *herbas* ſcilicet; a quo nec vulgi nunc opinio abhorret, quoniam ſane *herbis fruges corrumpuntur r*). Mireris

p) O. M. IV. coll. vv. 89. 160. 165.

q) O. M. II. 541.

r) *Nimirum herbae in frumento, quum ſint fere plantae ſpontaneae et loco adſuetae, quotannis mirifice augentur, niſi remediorum curam ſedulo adhibueris. Eos vero ex ipſo frumento degenerante oriri vetus eſt opinio, cui fauebat illud, quod plantarum cultarum plurimae, ſi quid ex cultu remittas, ad naturalem mediocritatem redeunt.* Ill. BECKMANN.

reris recentiori etiam tempore illam litem de *mutandis frumentis* serio agitari potuisse. *Florem*, qui ter die colores mutaret, nominat Antig. Carystius.

Ex *aquae* vero miraculis multa huc pertinent. Aquam mutari in *lapidem*, seu potius, lusu poëtico, bibentium uiscera lapidea reddere, quomodo dixerit Ouidius *s*) nemo non intelligit. *Fons Athamaniae t*) lignum aut sarmenta et res aridas incendere dictus est. Si de naphtha cogites aquis innatante, res non satis plene tradita, nam ea *ipsa* arserit *ante* necesse est, quam alias res incenderet, neque enim *alimentis meris* ignium admotis naphtha incenditur, nisi forte *flammae* simul *principia* adsint, vt in face modo extincta — Mira etiam visa est natura *fontis* in luco ad templum *Ammonis u*) in Africa. Interdiu enim frigidior, noctu incalu-

s) M. XV. 313.

t) O. M. XV. 311. De hoc fonte equidem pronunciare quidquam non ausim: breuiter recensebo ex *Antig. Carystio*, 163. *Sotione* in Paradoxolegom. de flum. *Lucretio* VI. 874. sqq. quibus ad iudicium forte vbi possis. Aqua ipsa fontis est perquam frigida, (τὸ δ' ὑπὲρ αὐτὸ ὕτω θερμὸν etc. (Sot.) *stupam* tamen admotam s. φρύγανα ἢ ἄλλο τι τῶν τοιέτων incendit, *flammamque* excitat. *Saepe* hoc fit Lucretio; et Ouidio, poëtice, *minimos quum luna recessit in orbes*. Aquam ipsam arsisse, i. e. *naphtam, non additur*, sunt, quae *non admittere* videantur, maxime in Lucretio. *Similes* fontes sunt, quos laudat Plinius II. 106. *in Illyriis super fontem frigidum expansae vestes incenduntur*; et ibidem *fons Iouis Dodoneus* facem *extinctam* incendisse, *incensam* extinxisse dicitur. Lucretius fontem *Dodoneum* cum illo *Athamaniae* confundit, saltem stupa illi et taeda *eodem* fonte incenduntur.

u) O. M. XV. 309. Sic in ceteris quoque exemplis veritas eo redit, quod Plinius obseruat, *omnes fontes aestate quam hieme esse frigidiores*, scilicet ad sensum nostrum. Eodem spectat, quod Herodotus II. 68. de crocodilo narrat, eum noctu in aquis degere quod ea sit tepidior terra roscida et frigoribus aëris nocturnis.

luiſſe dicitur; cauſſa tamen mutationis non in ipſa aqua, ſed in circumfuſi aëris temperie, quaerenda, praeſertim ſi noctes in regionibus Africae frigidiſſimas, aeſtum dierum flagrantiſſimum cogites. Adſcititium vero in fonte illo, quod alii calidum ſimpliciter narrant noctu, ſed die frigidum fere ad glaciem, ſic Antig. Car.; alii frigidum interdiu ſimpliciter, noctu vero feruore ebullientem, vt ipſe Herodotus — Facile credimus, vbi fontes laudant variis velut *medicinis temperatos*, qui vel torporem bibentibus facerent, vel hilaritatem, adeoque, vt cum Ouidio dicam, ad ipſum animum immutandum vim habere viderentur. Verba tamen, quibus illi effectus indicantur, nimis interdum poëtica. Notus *Lynceſtius* amnis *inebrians* vel ex Ouidio. *x*) *Abſtemios* reddidiſſe bibentes *Clitorium* fontem *y*) legimus. Secundum *Plinium* IXXX. 13. *Eudoxus* vinum in taedium venire *ait ei*, *qui bibat ex Clitorio fonte* — *Theopompus* inebriari (*ait*) iis fontibus, *quos diximus* (inter quos et Clitorius). Adeoque quum *idem* fons et *inebriare* et *abſtemios reddere* dici potuit, luſus poëticus aperte intelligitur: abſtemios reddere aqua dicta eſt, quae tam amoeno eſſet ſapore, et tam iucundam faceret hilaritatem ſeu ebrietatem, vt, qui aſſuetus ei fuerit, vino facile careret, ſeu nollet amplius vino vti. — Mere poëtica ſunt, de fonte *Anygro*, O. M. XV. 281.

x) O. M. XV. 329. aquae erant *acidulae*ſec Vitruo. VIII. 3. in *Trad. de Pline* T. I, p. 310. citantur recentiores obſeruationes de fonte vinoſo. Aliud exemplum eſt apud Antigonum Caryſt. 164. ſi in fontem aliquem vini cotylum infundas, fieri *ἔυκρατον τὸ ποτον*.

O. M. XV. 323.

281. autea dulci z), ſed ex Neſſi cruore amaritudine infecto; eiusmodi autem figmenta apud Pauſaniam et alios paſſim plura narrantur: nec minus de *Hypani*, O. M. XV. 285. qui per ſe boni ſaporis alio flumine peſſimae indolis commixtus et dulcis et amarus dici poterat. v. Solinum c. XV. Poëticum et illud, quod *Salmacidis* fontem *a*) effeminare et emollire tradiderunt, immerita ſine dubio infamia notum, quam Strabo et alii recte ad ipſos accolas conuertunt. — Quod tandem aliis in locis *nigra*, aliis *alba* pecora et armenta gigni, plerumque *conſtanti lege* viderent, eius rei cauſſa vel opinione vulgari *in aquis b*) maxime quaeſita eſt. Sic *Crathis* quoque et *Sybaris*, alter candidam aut flauam, alter nigram et criſpam comam reddere crediti ſunt, diuerſitate iſta in accolis notata.

IIII. *Metamorphoſes ex certorum locorum natura.*

Aeque fere copioſum metamorphoſium genus *ex natura ac facie certorum locorum* illuſtrandum eſt, quae quidem fingendi opportunitas, mirum, quantam vim habuerit in tota re mythica veterum, ad

z) Sed narrant etiam de fontibus ſaporem ſubinde mutantibus, neque hoc aliquatenus mirum; ſed quod addunt ex amaris fieri dulces *ter noctu* et *ter die*, ſeu *meridie* et *nocte media*, artem prodit. Plin. XXXI. 15. ex Iuba. .II 106. Sic aqua in vinum mutata in feſtis Bacchi (Plin. XXXI. 1. II. 169.) niſi figmentum eſt, certe fraudem ſacerdotum arguit.

a) cf. Intt. ad Ou. M. IV. 285. Vitruuius II. 8. ineptius cauſſam infamiae explicat, ſed quod addit, ad fontem fuiſſe templa *Mercurii* et *Veneris*, commode ſuppeditat occaſionem fabulae de Salmacide nympha et Hermaphrodito ap. Ov. l. c.

b) Locorum, quae huc ſpectant, ſilvam non addo, facile et Antig. Car. Plinio et nott. VV. DD. colligendam. cf. Ariſt. H. A. III. 12. De Crathi v. Cluv. Ital. p. 1269. de fonte Melani in Sicilia, p 306, Sicil. ant.

ad fabulas vel novas ex cogitandas, vel antiquas iucundius ornandas, ita vt arbor fere quaelibet paulo insignior, lapis item, multoque magis mons, specus, monumentum quodque, suas haberet significationes et narrationes adiunctas. In toto autem genere adspectum insolitum et nouum miras etiam peperisse descriptiones, promtaque inprimis fuisse ingenia ad res domesticas, ipsa adeo loca patria celebranda, notum, nos igitur statim ad singula pergimus. Vix dubium est, quin in fabulis antiquissimis, quae ad *Persei expeditionem* in Africam spectant, plurima ex locorum natura prisco sermone descripta, poëtis accedentibus in mera miracula et portenta versa sint; illud etiam de *capite Medusae ἀπολιθοῦντι* respexit forte tractum aliquem Africae aut montibus et petris obsitum, vt omnia in saxum mutata viderentur, aut variis monstris scatentem, quae terrorem incuterent et metu exanimare dicerentur; saltem ad insulam *Seriphum saxosam c)* ingeniose mythus accommodatus est, ibique Perseus incolas lapides reddidisse traditus. Neque aliene a locorum natura confictum est, *Serpentium multitudinem ex sanguine Gorgonis d)* enatam esse;

c) Strabo X. 487. οὕτω δ' ἐστὶ πετρώδης ἡ νῆσος ὥστε ὑπὸ τῆς Γοργόνος τοῦτο παθεῖν αὐτήν φασιν οἱ κωμῳδοῦντες.

d) O. M. IV. 617. Nicander Ther. init. venenatas bestias Τιτήνων ἀφ' αἵματος deriuandas putat, sed addit: *si vere ita cecinit Hesiodus*, Scholion notat, eiusmodi quid non legi in Hesiodo, Ἀκουσίλαος δέ φησιν ἐκ τοῦ αἵματος τοῦ Τυφῶνος παντα τὰ δάκνοντα γενέσθαι. Ἀπολλώνιος δέ ὁ Ῥόδιος ἐν τῇ τῆς Ἀλεξανδρείας κτίσει ἀπό τῶν σταγόνων τοῦ

esse; nec quod Ouidius, aut quis alius, invenit, Perseum, Andromeda liberata, quum clypeum, in quo esset saxificum caput, herbis marinis imposuisset, *corallia* primum indurasse,

Quaedam figmenta ex adspectu locorum paulo *perversius adornata* metamorphosibus *correcta* dicas. Sic *Atlas* ille poëticus, vt multa mutuatus erat ab Africae monte, in ipsum illum montem Ovidio *e*) convertitur; sic *Symplegades* denuo immobiles *f*) factae, *Ortygia* natans stabilita est, *g*) *Scylla*, monstrum antea poëtis, in saxum corriguit. *h*)

Hominum vero in *montes aut lapides transformatorum* miracula nonnunquam ad similitudinem figurae humanae redeunt. *i*) Saxum in monte Sipylo

τῆς Γοργόνος ἅιματος. Imo in Argonauticis quoque IV. 15. 13. vbi Schol. addit, τὸ ἀυτό Φησι καὶ Ἀλέξανδρος fort Alexander Myndius rerum naturalium scriptor

e) M. IV. 655. *f*) M. XV. 338. *g*) M. XV. 338.

h) M. XIV. 37.

i) Ad haec in memoriam veniet quoque fabula de Batto in lapidem aut montem mutato. O. M. II. 705. Ex Anton Lib. 23. discimus, eam spectasse ad Messeniae montem, qui notus esset tamquam sedes quondam callidi cuiusdam hominis et fraudulenti, Βάττȣ σκοπιὰ ab eo dictus. In hoc igitur monte aut saxum fuit humanam forte formam referens, quod vel a plebe Battus vocari poterat, aut potius metamorphosis poëtarum ingenio debetur, ex quo primum, quod de Batti perfidia notum erat, mytho de Mercurio greges Apollinis abigenre accommodari coepit. Huius enim mythi ratio indicem furti sibi postulabat. Index autem ille persona primum ficta fuit, qualis est senex ille in hymno Homerico (ἐις ἑρμῆν) Onchesti Boeotiae collocatus; Posthac demum Battus aliis fabulis tunc insignis substitutus esse videtur. An Hesiodo forte auctore, aut ante eum ab alio quodam poëta, quaeri quidem potest, quum Ant. Lib. Hesiodi quoque μεγ. Ἠοίας inter alios fabulae fontes citauerit, affirmare tamen id non licet, quoniam in-

pylo plorantis feminae ſpeciem referens jam Homeri temporibus de *Niobe*, ſummi luctus exemplo, interpretati ſunt; *k*) ſi quis tamen nihilominus in metaphorico dicendi genere cauſſam metamorphoſeos quaerat, equidem non repugnabo — *Mons apud Ambraciotas,* ſi Ouidio credimus, *l*) humanam formam expreſſit, in quem *Cragaleus* heros indigena conuerſus ab Apolline fingebatur, quod in lite de imperio terrae Apollinem inter et Dianam et Herculem exorta conſtitutus arbiter Herculem victorem enunciaſſat *m*) — Scopulus in mari ad Euboeam ob figuram et locum ad Herculis fabulas trahi coepit, *Lichas n*) appellatus — Nec minus ad certum locum ſpectat, quod narratur homo quidam timidus, *o*) quum, viſo Hercule cum Cerbero vincto ab inferis revertente, in ſpecus ſe abderet, ibi

incertum eſt an eos tantum auctores Anton. Lib. fabulis praeſcripſerit, qui in omnibus conſentirent omnesque mythorum partes accuratius perſecuti eſſent. Potuit adeo amiciſſimus GRODDECK in Commentat. de *Hymnorum Homericorum reliquiis* p. 39. ingenioſa vri coniectura, videri auctorem hymni in Mercur. antiquiores ſecutum eſſe poetas, forte Heſiodum, quod indicem quidem habeat furti a Mercurio perpetrati, ſed non Battum, vt ſeriores.

k) Il. ω. 614. Pauſan. Att. 49. ſe ipſum vidiſſe narrat Niobes ſaxum in monte Sipylo proxime adſtanti nullam feminae figuram exhibens εἰ δέ γε πορρωτέρω γένοιο δεδακρυμένην δόξεις ὁρᾷν καὶ κατηφῆ γυναῖκα.

l) O. M. XIII. 713.

m) Ant. Lib. 4.

n) O. M. IX. 225.

o) O. M. X. 65. cf. Suidas in prouerbio: δειλότερος τοῦ παρακύπτοντος, quod ex hac fabula natum eſt. Ibidem monetur lapidem tunc temporis etiam conſpici potuiſſe, quae tamen verba cum aliis quibusdam ex textu ſuſtulit Kuſterus; ſine idonea cauſſa, vt videtur.

prae metu lapis factus esse. Erat alicubi saxum, quod figuram ex antro prospicientis hominis referret; addas forte, vt fabula cum Herculis facinore coniungeretur, ita fuisse locum comparatum, vt ibi canem Orci extractum esse commode fingi posset, quemadmodum non uno de loco, vbi antrum aliquod terraeque hiatus insignior erat, praedicari solitum legimus. *p*) — Sic rationem figmenti de *aconito* ex spuma Cerberi nato *q*) tenebis, si scias herbam virus habere praesentissimum, nasci copiose circa Heracleam in Ponto, eumque locum Herculis fabulis, Acheronte etiam fluvio, totoque adeo orco celebrem fuisse. Ignobiliores sunt fabulae de *Lethaea r*), *Oleno s*), *Rhodope t*) et *Haemo* in montes mutatis; omnino factum est in plurimis montibus, vt ex eorum nominibus personae quaedam harumque metamorphoses fingerentur; neque mireris, fuerunt, qui montium et fluminum origines ac mirabilia perscriberent *u*). Insularum *Echinadum x*) ortus quidem, ex alluuione Acheloi, ad obseruationes physicas pertinet, fabulas tamen suas Ouidius ex situ ipso, maxime in *Perimela y*) non sine arte adornauit z) — *Acin* vero iuuenem, qui mutaretur in flumen Siciliae huius nominis, si poëtica ratio inuenit, cetera omnia ex natura et propinquitate locorum de-

p) Pausan. 31. II. et 39. it. III. 25.

q) Antig. Caryst. 131. v. inprimis Nicandri Alexiph. 23. sqq. et ibi Schol.

r) O. M. X. 70. *s*) X. 68.

t) VI. 87. et ibi intt. *u*) v. Plut. de fluminibus.

x) O. M. VIII. 579. *y*) ibid. 605. *z*) O. M. XIII. 750-597.

desumta sunt. Tandem in fabula de *Phaëthonte*, *a*) si quis ipsum in Eridanum mersum, populosque in ripa electrum sudantes meminerit, statim suspicabitur, pertinere aliquid ad certorum locorum indolem, et sane ita est, si rem accuratius expendas. Phaëthon ipse et mundus incendio in discrimen adductus ex oriente fabulam prodere videtur. Quam quum Graeci seu ita ornatam didicissent, seu ornassent ipsi, vt Phaëthon accepisse currus solares, sed imperitia ausis et caelo excidisse narraretur, illud saltem mirum non est, quod eum fulmine percussum ea in loca deturbari voluerunt, quae aestu et incendio feruere putarent; nam vt in Lemnum insulam Vulcanus decidit, quod ea flagraret ignibus subterraneis, sic Phaëthon in Eridanum mersus dicebatur, iuxta quem lacum feruidis aquis aestuare fama accepisse videntur, loco in Mirabilibus Aristotelis suffragante; *b*) neque hanc opinionem ex fabula demum enatam putes, calidi fontes in agro Patavino lacus Aponi nomine celebres sunt, quos innuit existimat Cluuerius. Iam vero aliae fabulae accesserunt. Scilicet audierant Graeci succinum, a barbaris forte aut Phoenicibus inde apportatum vbi et

 ho-

a) O. M. II. 346. Plinius 37. II. hanc fabulam repetitam docet *Aeschylo*, *Philoxeno*, *Nicandro*, *Euripidi*, *Satyro*; sed quod inuentorem *Aeschylum* dicit, fallitur, modo recte Lactantius in argum. fab. Ov. *Hesiodum* laudauit. Cetera loca dabit Cluverius *Ital. ant. De Pado* cap. 33. p. 336.

b) *Λίμνη πλησίον τȣ̃ ποταμȣ̃ ὕδωρ ἔχȣσα θερμὸν, ὀσμὴ δὲ ἀπ' αὐτῆς βαρεῖα καὶ χαλεπὸς ἀποπνεῖ, καὶ ὅτε ζῶον ȣ̓δὲν πίνει ἐξ αὐτῆς ὅτε ὄρνεον ὑπερίπταται ἀλλὰ πίπτει καὶ ἀποθνήσκει. Ἔχει δέ τὸν μὲν κύκλον ςαδίων διακοσίων, τό δὲ ἔυρος ἕως δέκα.* Iam de Phaëthonte et populis,

per ſe videtur ad locum ſpectare, vbi non modo Latonae memoria celebraretur, ſed etiam ranarum multitudo notabilis eſſet. Si Ouidium audias, ratio fabulae eſt expedita. Erat in medio quodam ſtagno ara Latonae, circumſtrepentibus adeo ranis; quamquam eſt dubium, annon ara illa, poëtae ingenio debeatur, cuius mentio nulla ſit apud Antoninum Liberalem, qui cetera ex Menecrate Xanthio, rerum Lyciarum ſcriptore narrat, ſed tamen de certo Lyciae lacu aut fonte, Μελίτην κρήνην nominans. — Fabula porro jucundiſſima de *Philemone et Baucide f*) niſi tota confiсta eſt, commode Ouidius duas arbores rei teſtes extare citat, quercum et tiliam muro incluſas, in proximo lacum, qui olim tellus habitabilis fuerit. Admodum enim probabile eſt, huiusmodi quid pro fundo fuiſſe, praeter ea, quae de pietate Philemonis cuiusdam et Baucidis narrarentur, antequam cetera ornamenta poëtarum luſu, Callimachi etiam in αἰτίοις, vt notat Heinſius, accederent. Claudat agmen fabula, Amphiſſenſibus aut potius Oetaeis domeſtica, de *Dryope* in arborem mutata, *g*) in qua, maxime ſi ex Antonino Liberali antiquiorem rationem ſequaris, omnia fere ad loci naturam redeunt. In luco nimirum Dryopi ſacro templum erat Nympharum, a quibus Dryope rapta, ipſaque Dryas facta, alnum inſignem ad fontem inhabitare dicebatur; nomen quoque advocare licet, quod habet aliquid ex δρῦς; fabulae celebritatem attulerunt ludi ad hunc locum habiti.

 V. Me-

f) O. M. VIII. 623. ſqq.

g) O. M. IX. 350. Ant. Lib. 32.

dium *m*), vt alia nonnulla in eius fabula, figno alicui eiusque aut formae aut loco debemus. Haec Ouidius: *Neue ea ficta putes, dominae fub imagine fignum feruat adhuc Salamis: Veneris quoque Nomine templum Profpicientis habet.* Itaque Anaxaretes ftatua in templo quodam Veneris dedicata, feu potius *ad Veneris formam*, eo *habitu corporis* et fitu effictafuiffe videtur, vt *Veneris* nomine, fimulque: *Profpiciens*, *παρακύπτεσα*, dici potuerit; aut potius de *loco edito*, in quo repofita effet, nomen intelligendum, quod vertas: *κατάσκοπος*; quam rationem praefero *n*), nifi forte altera illa probabilior fiat ex eo, quod Anaxarete corriguiffe in lapidem narratur, vt ex feneftris *inclinato corpore* profpectauerit. — Quum apud Melitenfes *o*) nobili feminae, quae mortem fibi inferre, quam tyranni vim pati, maluerat, in aede Dianae, iuxta Deam, ftatua effet repofita, hiftoriam eius fatis iucundam enarrantibus data eft opportunitas, vt corpus *Afpalidis*, hoc illi nomen, quum interfecto ab eius fratre tyranno, publicis honoribus efferre vellent ciues, nusquam inuentum effe fingerent, fed in ipfam hanc ftatuam mutatum, quae inde hoc loco apparuerit. Aliquid tamen praeterea acceffiffe crediderim, quod huic figmento gratiam et iucunditatem conciliaret; nimirum, quod tam nobilis feminae nullibi monumentum aut fepulcrum oftendi poterat, eius rei, vt dedecus a ciuibus amoueret, fatis ingeniofe aliquem

n) Simile quid habet Paufanias II. 32. apud Troezenios effe ftadium Hippolyti dictum, *καὶ ὑπὲρ αὐτȣ̃ ναὸς, Ἀφροδίτης Κατασκοπία, ἐντεῦθεν γὰρ ὁπότε γυμνάζοιτο ὁ Ἱππόλυτος ἀπέβλεπεν ἐς αὐτὸν ἡ Φαίδρα.*

o) Ant. Lib. c. 13.

quem rationem illam, quam expoſuimus, puto reddidiſſe. Neque haec dici parum probabiliter, docent, quae de *Alcmena p)*, quum efferretur, in ſaxum mutata nouimus. Huius ſcilicet Thebis monumentum extabat nullum, lucus tantum eius memoriae ſacer, et in eo lapis; in hunc igitur transformatum eſſe Alcmenae corpus contendebant, neque id mirum, quum certarent hac de re Thebani cum Megarenſibus, qui ſe tumulo Alcmenae apud ſe defunctae iactarent *q)*. — Serpens ille, qui in Lesbo, dum Orphei capiti illuc fluctibus appulſo inhiaret, in lapidem verſus dicitur *r)*, ſeu in quem alii ipſum Orphei caput mutatum eſſe voluerunt, ſpectat forte ad draconis lapidei in hac inſula aut in Thracio littore figuram. Sic lupus fabulas Pelei ornat et in lapidem abit, quod eiusmodi ſignum conſpiceretur in Phocidis et Locridis confinio *s)*.

VI. Metamorphoſes ex ſermone poëtico et ſymbolico.

Alia porro metamorphoſium exempla illuſtrabit *ſermonis poëtici* ratio. Et *primum* quidem quum bo-

p) Ant. Lib. 33. *q)* haec omnia habet Pauſan. IX, 16.

r) O. M. IX. 56. cf. Plut de flum. in ἕβρος. Orpheus dilaceratus Hebro iniicitur, καὶ ἡ μὲν κεφαλὴ τȣ̃ θνητȣ̃ κατὰ πρόνοιαν θεῶν εἰς δράκοντα μετέβαλεν τὴν μορφὴν τȣ̃ σώματος (corrupte) ἡ δὲ λύρα κατασηρίχθη — ἐκ δὲ τȣ̃ ῥεύσαντος αἵματος ἀνεφάνη βοτάνη Κιθάρα καλȣμ. haec vero γεννᾶται ἐν τῷ Παγγαίῳ ὄρει. Κλειτώνυμος ἐν τῷ γ. τῶν Τραγικῶν.

s) Si fides habenda Antonino Liberali 3 ὁ λύκος — ἐγένετο πέτρος, καὶ ἄχρι πλεῖστȣ διέμενε μεταξὺ Λοκρίδος καὶ τῆς Φωκίδος γῆς.

bono plerumque consilio *peruerse* acciperentur multa et proprie, quae non ita dicta essent *primis auctoribus*, mira ex iis fabularum portenta extiterunt. Sic *Midas t*) propter opulentiam omnia in aurum conuertere dici potuit, quod tamen proprie acceptum ornarunt suis figmentis, tactu ipso illum id effecisse, Bacchi inuiti, sed victi precibus, munere, et vt a facultate aurifica, molestiore quam putauerat, liberaretur, *Pactolus* auro fluens in promtu erat, in quem miraculi vis, dum eius aquis se lustraret Midas, transiisse videri poterat. — *Iolaum* poëtae quidam interesse proelio Heraclidarum cum Eurystheo iusserant, senemque iuuenili alacritate rem gerere; ex hoc alii vere iuuentuti annisque puerilibus restitutum finxerunt *u*); quin aliis v. c. Pindaro Iolaus iam mortuus precibus impetrauit, vt hoc vno die ad superas auras redire liceret, quo tam bene vteretur, vt ipsum Eurystheum interficeret. — *Caeneus* vero quod primis annis femina fuisse dicitur a Neptuno vim passa et in marem mutata *x*), caussas probabiliter habuit in comparatione aliqua aut descriptionis modo, quo quis vetus poëta eius formositatem adumbraret; quod idem valet de *humero Pelopis eburneo y*), quum, qui iuuenem formosum eburneis humeris laudassent, male intellecti, aut auide ambiguitatem arripientibus poëtis, notis hac de re fabulis locum dedisse putandi sunt.

Praeterea loqui *aenigmata et miracula* poëtae maluerunt, quam amittere res *ad sensus pingendi* opportunitatem

t) O. M. XI. 92-145.

u) O. M. IV. 396.

x) O. M. XII. 175. Idem poëtis, qui eum non vulneribus acceptis sed molium in eum coniectarum pondere obiisse canerent, ambiguam viri inuulnerabilis laudem debet. O. M. XII. 170.

y) O. M. V. 405.

portunitatem, quod ad genus orationis ſymbolicae pertinet. Sic *Periclymenes*, qui iam Heſiodo in varias formas ſe commutandi vim habuit, z) poëtico potius ſermoni quam Neptuno hoc munus debet, quippe ornandum fuit illud, quod in fama eſſet aut in antiquis carminibus, eum in certamine cum Hercule ſumma agilitate omnibusque pugnae artibus vſum, omnes formas ac vias tentantem aegre demum fortiori ſuccubuiſſe — Similiter *Acheloi* cum Hercule pugnantis transformationes in taurum et ſerpentem naturam fluminis adumbrant. *a*) *Proteus b*) iam ex ſymbolico figmento maris Deus, rex adeo Aegypti factus, formas mutandi facultatem apud poëtas retinuit. Mirifice omnino haec placuit antiquis temporibus, adeoque imitatione ſaepius repetita eſt. *c*) *Thetis* mutat formas, quam, quum inuita nuberet Peleo, omnes vias ac modos tentaſſe diceres, vt ſe coniugali vinculo, quod fatum non amor vrgebat, ſubtraheret. Vides igitur levi quacumque opportunitate *d*) adduci potuiſſe poëtas, vt de *filia Eryſichthonis* hoc commentum adornarent, eam ad patris famem inſatiabilem leuandam ſaepius ſe

z) O. M. XII. 555. Heſiodi locum ſeruauit Schol. ad Apoll. Rhod. I. 156.

a) M. IX. 62. ſqq.

b) M. VIII. 731. ſqq.

c) De Nemeſi a Ioue in cygnum mutato decepta Eratoſth. in Cataſt. Κύκνος. ἐπεὶ αὐτὴ πᾶσαν ἤμειβε μορφὴν ἵνα τὴν παρθενίαν φυλάξῃ. Appollod, III. 10. 7. p. 237.

d) Quae tandem illa fuerit non certo forte expedias. Sane conditio Eryſichthonis depingi miſerabilius non poterat, quam ſi vrgente fame fundis diuenditis neque ab ipſa filia abſtinuiſſe, aut filia ſe ipſam vendidiſſe diceretur. Hoc de filia mihi quidem amplius aliquis videtur exornaſſe. Grammatici aliam interpretationem habent, et hinc alii, ſed grammaticis dignam.

ſe vendidiſſe, ſub uariis figuris, quas Neptuni beneficio ſumeret ac deponeret, priſcis dominis ereptam, aliis emtam. Adde *Autolycum*, quem quum hominem callidiſſimum patrisque Mercurii exemplo furta ſua egregie occultantem narrare vellent, cum colores boum immutaſſe tradiderunt, ſeu, vt habet Ouidius *e*), obſcure innuendo mirationem augens, nigra ex albis, ex atris candida feciſſe.

VII. Metamorphoſes ex factis poëtice ornatis.

Cognatum genus eſt, in quo non tam ſermonis antiqui aut ſymbolici opportunitas, quam *ipſae res* et facta quaedam, ſeu *vera* ſeu fama forte *corrupta*, *ficta* etiam a poëtis, quum *ornanda eſſent nouis additamentis*, inſtruenda probabilitate aut conciliatione, inter alia artificia metamorphoſium quoque auxilium ſponte arceſſerent. Erant in mythis antiquis *Sirenum formae portentoſae* nec non *Scylla* monſtris marinis horrenda: *cauſſae deformitatis* in vtrisque a ſerioribus expoſitae, variis metamorphoſibus effictis, prout ipſa illa phantasmata non vna occaſione neque eodem conſilio adhiberentur *f*). — Quum traditum eſſet mythorum memoria aut a poëtis fabulas de bello Troiano exornantibus, ex Delo inſula *g*) Graecos victum et belli ſubſidia abſportaſſe, ſeu ante congeſta illuc a ſociis, ſeu ex primitiis et donis Deo oblatis, annonae igitur, vt ita loquar, praefuiſſe Anium ſacerdotem Apollinis, ex his ſane aut ſimilibus orta ſunt mira fabularum commenta de *Anii* huius *filiabus*

e) M. XI. 314.

f) O. M. V. 552. ſqq. *Vobis Acheloides, vnde Pluma pedesque auium quum virginis ora geratis?* XIII. 60-73. cf Cirin Virg. adſcript.

g) cf. intt. ad Dictyn Cret. Lib. I. c. vlt.

bus b); quae a Baccho habuerint poteſtatem omnia in oleum et frumentum et vinum commutandi, vnde et nominum monſtra: Οἰνὼ, Σπερμὼ, Ἐλαΐς, et οἰνότροποι — *Alcmaeon* inſidioſe occiſus reliquit impuberes *filios ex Callirhoë*, quos aliquando patris caedem vltos eſſe narrabant. Siue igitur miraculorum ſtudio nouare aliquid placuit, ſive poëtis has res in Alcmaeonide cyclico more tractantibus moleſtum erat temporis interuallum donec pueri adoleſcerent: Iouem legimus matri gratificatum pueros ſtatim et ſine mora iuuenili corpore et vigore inſtruxiſſe *i*) — *Pygmalionis k*) autem inſania non, niſi egregio inuento marmoris vita donati, iucundiſſimae fabulae in Ouidianis locum praebuiſſet — De *Actaeone* hoc videtur hiſtoricum ſeu fama traditum fuiſſe, quod inter venandum deſideratus ſit, vel etiam a canibus dilaniatus perierit; hoc ita ornatum a poëtis et explicatum eſt, factum eſſe irata illi Diana; inter cauſſas irae, nam alii aliter, etiam illa in promtu, quod Dianam lauantem offendiſſet; vt diſcerpi denique poſſet a ſuis canibus in cerui figuram mutabatur *l*) *Aeſculapii ſub ſerpentis forma* aduentum in Italiam ex rerum veritate habet Ouidius *m*). Eiusmodi enim angues tamquam ſymbola Dei ab Epidauriis petitas fuiſſe probat ſimilis apud Pauſaniam narratio

h) O. M. XIII. 623. v. ibi loca ab Intt. citt. ceterum cur eadem in columbas tandem mutatae dicantur non expeditum, ib. v. 673.

i) O. M. IX. 4 5. Appollod. ill. 6. 219.

k) M. IX 280. Pygmalion, ſi non Rex Cypri fuit ſed ſtatuarius, forte nec revera inſaniit in ſtatua, ſed dici id coepit ob excellentiam operis. III. Heyne Antiquar. Aufſätze I. p. 137. In Cypern ſtand von den älteſten Zeiten her eine nackte Venus das Werk des Pygmalions. das durch die Fabeln von ſeiner ſeltſamen Leidenſchaft ſo berühmt iſt.

l) O. M. III. 194. v. Intt

m) XV. 621-744.

tio *n*). — Quae de suffragiorum *lapillis atris in albos* mutatis iucunde narrat Ouidius *o*) ex ipsa re nata sunt, quod reus insperato culpa solueretur. — Vnicum est et mirum exemplum in hoc genere, quod *publico quasi documento* confirmari aliqua metamorphosis videretur. Scilicet si vera narrat Pausanias, II. 27. *Hippolytum* reuixisse opinio erat, quod in Aesculapii templo in columna legi posset, munus pro *salute Hippolyti* datum esse equorum numero constans, quod quo lusu aliquis interpretatus in miraculum verterit, per se liquet. — Duas obiter fabulas illustramus, quae ipsae huc pertinent, metamorphosibus tamen nullius momenti insignitae. De *Pyreneo p*) igitur constabat forte veteri sermone, eum ex Thracia in Phocidem penetrasse, quae quum essent Musis sacrae regiones, has inde fugatas esse ab eo, seu vim iis inferre Pyreneum voluisse, ingeniose narrari potuit. Alii mortem etiam Thracis ad Musas referebant, inter diversos fortasse modos, illa etiam ratione, quam Ovidius suam fecit, quaeque Musarum in aves metamorphosin additam habet; sic Thamyrae olim coecitas Musis iratis adscripta. Similiter ad mythos de *Piero Thrace* eiusque filiabus haud dubie fecit opinio eaque satis vera, de primordiis graecae poëseos in Thracia quaerendis. Hinc Musarum cum Pieridibus certamen institutum, victae Pierides, puniendae certaminis lege, conuersae tandem in aves loquaces, in picas Ouidio. M. V. v. 671. sqq.

VIII. Metamorphoses ex etymo et ambiguitate verborum.

Separandum quoque fuit haud obscuro discrimine a ceteris illud genus, in quo *nominum et appel-*

n) III, c, 23. *o*) XV. 46. *p*) M. V, 288. s. 205-293.

pellationis ſimilitudo etymologica, falſa etiam, vt fit, omnis omnino in vocibus ambiguitas metamorphoſium rationem reddere videretur; *hactenus* ſaltem *in quibusdam,* vt ingenia eiusmodi fictionibus aſſueta levem quamcumque occaſionem iis utendi fruſtra ſibi offerri non paterentur; *reliqua* quibus potiſſimum immorabimur, ad illud ſtudium redeunt, quod graecos atque romanos maxime tenuit, omnesque grammaticae diſciplinae expertes tenet, *obſcuriora quaevis ex nominibus atque etymo explicandi.* Sic luſit in ortu Veneris Heſiodus: *τὴν δ' Ἀφροδίτην Ἀφρογενῆ τε θεὰν* — Κικλήσκουσι θεοί τε καὶ ἄνερες οὕνεκ' ἐν ἀφρῷ θρέφθη. item de Pegaſo: Τῷ μὲν ἐπώνυμον ἦν, ὅτ' ἄρ' ὠκεανοῦ περὶ πηγὰς Γείνετο &c. Sic *Spartorum q)* apud Thebanos nomen antiquum in cauſſa fuit, vt Cadmo *r)* ex dentibus draconis occiſi haſtatorum virorum ſegetem enatam fingerent, idem portentum ad *Iaſonis fabulas* traductum labores eius in expugnando aureo vellere adauxit. *s)* Notum, quid ſibi velint *lapides a Deucalione iactati,* *t)* *Myrmidonumque* variis modis a formicis repetitae

q) O. M. III. 105. ſqq. ill. HEYNE ad Appollod. VII. 4. 1. 555. *ex etymo fabula nata vt plura in fabulis Boeoticis.*

r) Cadmus et vxor quum emigraſſent ad Euchelenſes (Pauſ. IX. 4. O. M. IV. 574.) mutantur in dracones. Putant VV. DD. ex etymo fabulam enatam eſſe; forſitan recte; at ἐγχελεῖς neſcio an potuerit ad *angues* ducere. Forte in monumento angues arte facti ſymbolicae ſignificationis, nam Strabo IV. 316. ὧν ἐν τοῖς Ἐγχελίοις οἱ Κάδμου καὶ Ἁρμονίας ἀπόγονοι ἦρχον, καὶ τὰ μυθευόμενα περὶ αὐτῶν ἐκεῖ δείκνυται.

s) O. M. VII. 121.

t) O. M. I. 399. not. ad Appollod. 1. 7. 2. 95. *vetus poëta λαοὺς* ex *λάας* duxerat.

origines. *u*) Impii Cypri incolae in *tauros* mutati propter ipſum nomen *Ceraſtarum*, *x*) quod haeſiſſe iis ex antiquo ipſius inſulae nomine, quam *Ceraſtiam* quondam dictam eſſe, ob κέρατα forte ſeu promontoria accepimus. Sic *Pithecuſarum* inſularum nomen incolas priscos apud poëtas fraudibus inſignes fecit, vt optimo iure in *Simias* ab irato Ioue transformarentur. *y*) *Hecubae* autem quod honori eſſe debebat, ſummum dedecus attulit; nam in *canem* mutata eſſe dici coepit ex nomine loci κυνὸς σῆμα vbi eius monumentum oſtendebatur. Ita enim admodum probabiliter ex veritatis veſtigiis *z*), quae ſuperſunt, ſtatuere licet. Plura eius generis locorum nomina occurrunt, κάπρυ σῆμα, ἵππυ σῆμα, quibus plerumque vt nominis cauſſa redderetur, fabulas additas inuenies. Ita ἵππυ κρήνη, quae multis modis dici potuit, ex monte *Pegaſi vngula* percuſſo prorupit, factumque eſt, vt Troezenii quum ipſi apud ſe haberent ἵππυ κρήνην, fabulam Thebanam et Heliconi propriam ad ſe traducerent *a*), eo-

u) O. M. VII. 635 ſqq. not. ad Apollod. III. 12. 6. p. 771. ſ.

x) O. M. IX. 235. v. Intt.

y) De Pithecuſis. v. Excurſ. III. HEYNE ad Aen. IX.

z) O. M. XIII. 567. *locus extat et ex re nomen habet* — quin potius ex loco res extitit. Iulius Pollux On. V V. ἔνδοξος δὲ καὶ ἡ Ἀταλάντης κύων, Αὖρα τοὔνομα, ἣν ὁ Καλυδώνιος σῦς ἀπέκτεινεν, ἀφ' ἧς τὸ κυνὸς σῆμα Καλυδωνίοις — καὶ ἕτερον δὲ οὕτω σῆμα ἐν Ἑλλησπόντῳ κεκλήκασιν ἀπὸ ἐνδόξυ κυνὸς, ἐι μὴ πιςευτέον ὅτι Ἑκάβης ἐις κυνὸς μορφὴν μεταβαλέσης ἔτως ὠνομάσθη.

a) Pauſan II. 31.

eodem modo ad Perſei et Bellerophontis mythos adiunctam. Etiam illud fere etymologicum, quod *Salaminii* AI inſcriptum *Hyacinthi* foliis ad *Aiacis* nomen referrent *b*), eiusque cruorem hunc florem edidiſſe fabularentur. *Hyacinthus* item Lacedaemoniorum in eundem florem propter nomen mutatus dicitur *c*). — Illud autem de *Lyngurio* perquam notabile *d*); nam gemmam ſuccino ſimilem ex Aethiopia advehi tradebant rerum naturalium ſcriptores, quae ex *vrina lyncum* concreſceret; alii negabant eiusmodi lapillos reperiri: et totum ecce commentum eo nititur, quod ſuccinum, quum apud *Ligures* emeretur, propter hoc ipſum λιγγύριον dictum eſt, ex quo etymi inſcitia, aut luſu, λυγγύριον fieri potuit *e*). — Non dubito, quin fabulam de quodam *Daedalione* narrans Hyginus, *f*) quae eſt etiam in Ouidianis, recte hoc addat, hunc mutatum dici in *auem Daedalionem ſeu accipitrem*; vt adeo ex ipſo nomine metamorphoſis adiecta ſit. Nam

b) Pauſan. I. 35. O. M. XIII. 395.

c) O. M. XIII. 395. X. 210.

d) Plin. 8. c. 7. inprimis 37. 13. III. HEYNE ad Aen. VII. Exc. I. *Ligures olim Iberica gens late tenebant maritima loca non modo Galliae et Italiae ſed et Iberiae. Itaque Padi quoque oſtia et ſuccinum ad Ligures referebant* cf Plin l. c. *Strabo* l. IV. p. 310. B. πλεονάζει δὲ καὶ τὸ λιγγύριον παρ' αὐτοῖς (τοῖς λίγυσιν) ὅ τινες ἤλεκτρον προσαγορεύουσι. Lingurium ex ea, quam ſupra poſuimus, λιγγύς, pronunciatione naſci potuit.

e) Multa longe ineptiora leges apud Plinium. Ad etymon haec pertinent: *Alii Langurium* (dicunt) *et eſſe in Italia beſtias Langurias. Zenothemis Langas vocat easdem, et circa Padum iis vitam aſſignat.*

f) Mythol. c. 200. O. M. XI. 291 ſqq.

Nam quo iure cum interpretibus ſtatuas de accipitrum genere hanc vocem non in vſu fuiſſe aliquo tempore et loco inter graecos? — Ceteri luſus etymologici per ſe ex *ipſis nominibus* facile intelliguntur, v. c. transformationes *Ardeae vrbis* in *Ardeam auem g*), *Byblidis* quae Caunum amauit, in fontem cognominem, *h*) *Coronidis* in cornicem *i*) etc. In quibus ſi de ipſis fabulis aut de metamorphoſium addendarum cauſſis remotioribus notatu quaedam ſunt digna, partim huius inſtituti non ſunt, partim ex iis, quae vniverſe antea monuimus p. 8. quaeque mox accuratius diſputabuntur, facile repetenda.

VIIII. Metamorphoſes hominum in beſtias, plantas, montes, flumina, ex mero luſu poëtico.

Peruenimus quaſi per gradus ad claſſem Metamorphoſium, in qua luſus atque imitatio aliorum magis proprie, vt ita dicam, habitare videatur. Quod autem de toto hoc argumento ſupra monuimus, id hoc loco maxime in animum reuocandum eſt, vt quisque reputet ſecum, quanta vis ſit exempli et conſuetudinis in poëtica praeſertim audendi licentia. Vno ſcilicet genere compleċtamur *poëticas animalium plantarumque ex hominibus transformatis origines*, quamquam aliqua in his diuerſitas notanda eſt.

Plurima enim huiusmodi figmenta *paſſim inter poëticos luſus* data qualicumque occaſione excogitata ſunt, mythis etiam notioribus addita, ſeu quod *mos ita ferret*, ſeu *ipſa fabula magis hoc ornamen-*

g) O. M. XIV 576. *h*) IX. 662.
i) II. 542..

to placeret; nam ornamentorum miram varietatem praebuerunt tum cauſſae mutationis reddendae, tum quaeſitae inter formam rerum veterem et nouam ſimilitudines. Cogitandum de *Scylla* patre prodito infami, mutata in *Cirin* auem, quae et nomen ἀπὸ τῦ κείρειν et rutilantem in capite galeam ex detonſa purpurea Niſi coma habere videretur *k*). *Meleagrides* fiunt ex ſororibus Meleagri Aetoli; *l*) in quo praecipua fingendi cauſſa haec erat, quod in Aetolia primum hae aves innoteſcerent Graecis advectae ex Africa, fabulis adeo Aetolicis ornandae; ceterum notatus color luctuoſus, nigrae enim ſunt, maculis albicantibus, notata quoque vox, quae Meleagri nomen ſonet, quamquam hoc forte poëticum, vt ſane poëticus eſt fletus ad Meleagri tumulum. — *Auium in Diomedea* inſula genus ex transformatis Diomedis ſociis extitit, *m*) *Memnonides* aves ad tumulum Memnonis commeantes ex eius cineribus aut ſociis. *n*) Nec *Pavonem* qui ſciat quo honore habitus ſit, miretur fabulis ornatum fuiſſe, nec forte unica illa, quam habet Ovidius *o*) de ſtellarum in cauda picta origine. Vide apud Ouidium, *p*) quam ſcitum commentum ſit *Arachne* in beſtiolam hujus nominis mutata, primum forte adhibita in Theriacis. De *Pompilo* piſce *q*), quem naues vsque ad littora comitari ſolitum narrat Oppianus, ex nomine et moribus adornatam fabellam Aelianus ſeruauit, auctorem citans Apollonium Rhodium. Nota ſunt exempla *Daphnes* in

k) O. M. VIII. 150. v. III. HEYNE ad Cirin Virg.

l) O. M. VIII. 541.

m) O. M. XIV. 497. *n*) O. M. XIII. 607. *o*) O. M. I. 722.

p) IV. 135. *q*) Aelianus XV. 23. Hiſt. an.

in laurum mutatae *r*); *Myrrhae* in arborem cognominem *s*), *Attidis* in pinum, facram Cybeli arborem, conuerfi *t*); Sed haec *variis occafionibus* ipfas quoque fabulas antiquas tractantibus poëtis obiter et *fingula fingulis* fubnata videbuntur.

Longe autem fecundius hoc genus locupletarunt, qui *praecepto et conftituto confilio* metamorphofium confingendarum *origines auium et plantarum* perfcriberent, nam fuiffe, qui in toto quadrupedum et pifcium genere iisdem argutiis vterentur, certis indiciis non conftat. Nec nifi *vnum* nouimus qui ὀρνιθογονίαν compofuerit, *Boeum*, antiquum fcriptorem, cuius artificia in adornandis fabulis referuamus illi loco, vbi de ipfo auctore accuratius difputandum erit. — *Plurimi* vero in plantarum arborumque defcriptionibus metamorphofes folenni lufu addiderunt, notis interdum mythis et fabulis ad propofitum accommodatis, plerumque autem fuos fibi pueros et puellas excogitantes, quae Deorum poena aut beneficio in arbores transformarentur. In quo argumento facile intelligitur ieiune pleraque dicta effe et ficta, fed ornari etiam fatis potuiffe nonnulla, qui vim poëticam nouerit, facile credet. Sic fuauiffimum illud de *Pinu x*), quae quum puella effet Panemque et Boream amatores haberet, quod Pani videretur favere impenfius, a Borea in rupem rapta et deiecta perierit; Deorum igitur beneficio in arborem mutatam Panis tempora cingere frondibus, Boream flantem etiam nunc gemitu auerfari. Iucundiffima

 eti-

r) O. M. I. 548. *s*) O. M. X. 489.

t) X. 103. *x*) Geopon. XI.

etiam nonnulla leguntur apud *Ouidium*; cetera dabit *Geoponicorum* liber vndecimus.

Eiusdem fere generis ſunt transformationes hominum *in montes ac flumina*, quibus vſi ſunt inter alia artificia, qui montium ac fluminum naturam deſcriberent, quae quum tanti non ſint, vt diutius nos morentur, vide exempla apud *Plutarchum* in libello *de fluminibus*. Redit autem omnis hic luſus ad Proſopopoeiam poëticam, de qua tamen ſeparatim dicere neceſſe non eſt; vnice huic debetur *Echo* Nympha ad meras voces extenuata *a*).

Parum abfuit, quin *fabularum aſtronomicarum* ſeu *aſteriſmorum* claſſem Metamorphoſibus infererem. Sed quum inquiſiuiſſem in tempora et cauſſas horum figmentorum, quae in his rebus, veſtigia hiſtorica et omnino antiquitatis, quam habebam, notionem ſecutus effeciſſe mihi viderer, ſenſi nullo modo ita poſſe in medium afferri, vt ne in diverticulum elapſus a diſputationis tramite longius ſeceſſiſſe dicendus eſſem *b*); quin ſi accuratius rem expendas, notio metamorphoſium ne cadere quidem

a) O. M. III, 393.

b) Ad eos autem prouocare non licet, qui in Chronologia veteri aut in Hiſtoria Aſtronomiae et Mathematices hunc locum attigerunt. Eorum enim opiniones, pleraeque notionibus, quas habemus de antiquitate graeca certiſſimis repugnantes, pendent ex coniectura magni Newtonii de Chirone Sphaerae graecae auctore, quamquam in temporibus calculo aſtronomico conſtituendis haud conſentiant. Adeoque optandum quidem eſt, vt exiſtat, qui argumentorum aſtronomicorum, quibus illi vſi ſunt, temeritatem aſtronomica item et mathematica ſubtilitate demonſtret; multo magis tamen in votis habemus, vt ea nobis aliquis exponat, quae accommodate ad veſtigia hiſtorica et antiquorum temporum rationem in hoc genere, certo aut probabiliter, conſtituere licet. Cuius rei a nobis initia facta quum iam perduci ad maturitatem nequeant, operam ſibi iniungi forte patietur Amiciſſimus BVHLE, cui aliquando Aratum nouis curis expolitum debebimus.

dem in afterifmorum lufum videtur. Itaque confultius fuit Ouidii exemplum fequi et continentiam, qui quidem admodum parcus in hoc genere, in Metamorphofibus praeter Callifto *c*) non nifi obiter Ariadnae coronam *d*), Herfiliae comam *e*) imitatus Cononis ingeniofitatem — fidus crinitum Caefaris *f*) perftringit, cetera vix fatis bene cum confilio fuo conciliari poffe intelligens, multo commodius et ex more feparatim in poëfi aftronomica tractanda, minusque ipfi neglecta in Faftis. Sed de *Callifto* tamen fi quaeris, quoniam haec vera eft et notiffima metamorphofis, dubium non eft, ex natura et appellatione *g*) fideris fabulam de puella Ioui amata, in vrfam mutata, et quae fequuntur, confictam effe. Narrabatur haec quidem Hefiodo *h*) de Callifto, quam μίαν τῶν νυμφῶν faceret, aliis poft eum de Lycaonis filia Callifto, feu Megifto, vt videtur, quod huic Arcades idem fidus illud antiquitus confecraffent, quemadmodum monftrabant in aftris *Ceteum* regem qui aliis erat Ingeniculus, ὁ ἐν γόνασιν, item *Calliftus fratrem* aliis Bootem.

Vix opus eft, vt in fine recenfus Metamorphofium de iis fabulis Ouidii et aliorum fcriptorum, quarum nulla mentio facta eft, moneam, plerasque tanti non effe vifas, quae in medium adducerentur, vbi ex eodem genere exemplis infignioribus, quod vole-

c) M. II. 477-507. *d*) VIII. 177.

e) XIV. 848. *f*) XV. 746.

g) ἅμαξα primum dicebatur, hinc vrfa, fi placet, nomine ex Sphaera peregrina evulgato, cum ipfo vfu nautico.

h) fec. Apollod. III, 8. 2. P. 224.

volebamus, confici poſſet. Verum nonnullas omnino intentatas relinquere debui, quas ita parum plene, obſcurius innuente Ouidio, perſpectas habemus, vt recte iis abſtineas, niſi meris ſomniis indulgere velis. Quid v. c. de *Cipi cornibus* affirmes *k)*, num reuera morbum frontis narrari? aut fabulam, cum Plinio, aut, cum Banierio, Cipi inſomnia? Nam *Genucio Cipo*, conſentiens Ouidio Valerius Maximus *l)* tradit, quum praetor paludatus vrbem egreſſus eſſet, ſubito in fronte *veluti cornua* erepſiſſe, quae regnum ipſi portenderent ex vatum reſponſis, ſi in vrbem rediiſſet. An demum placebit multum videri tribuendum eſſe *informi capitis figurae*, quae Cipi crederetur, in *porta rauduſcula* conſpiciendae? Ita enim Valer. Maximus: *cuius teſtandae rei gratia capitis effigies aereae portae, qua excesſerat, incluſa eſt, dictaque rauduſcula, nam olim aera raudera dicebantur.* Ouidius autem: *Cornuaque aeratis miram referentia formam Poſtibus inſculpunt longum manſura per aeuum.* — Facile eſt irridere cum Luciano *homines funginos m)*, in agro Corinthiaco ex fungis enatos; ſed cuius ſit temporis figmentum, cuius occaſionis et conſilii, equidem ignoro neque adeo cetera exiſtimo me tenere. — Antiquum eſt commentum et facillimae explicationis, de partu Alcmenae Iunonis malignitate impedito; ſoluuntur nexus magici dolo aut *Mantus* Tireſiae aut *Galinthiadis* cuiusdam, neque hoc mirum; ſed cur Galinthiadem in γαλῆν mutatam eſſe vo-

i) Cetei filiam et Megiſto dixit Ariethus Tegeates fec. Hygin. quem vide quoque de ceteris.

k) O. M. XV. 565. 621.

l) L. V. c. 6.

m) O. M. VII. 391. Luc. Verat. Hiſt. II.

voluerint *n*), non in promtu eſt; num mero luſu ex nomine, et quod punienda eſſet, quae fraudem Deae ſtruxiſſet, an alio quodam myſtico ſenſu? Miraberis rationem aliquid famae mandandi ſingularem, quod ſeruus ille Midam habere aures aſininas ſcrobi effoſſae immurmurat, terra deinde commiſſum rumorem procreatis *caunis loquacibus*, tuto auctore, euulgat *o*). Non licet mihi interpretando mirationem tollere, vnum hoc noui, non Ouidii eſſe figmentum, ſed *graecae originis*. Secundum Phocium *Ptolemaeus Hephaeſtioiis* tertio libro inter alia egerat περὶ τῦ καλάμυ τῦ ἐιπόντος ὅτι Μίδας ὄνυ ἔχει ὦτα. Notandum tamen, quod de fluuio Marſya ſeu Mida ſcribit auctor lib. de flum. γεννᾶται ἐν τῷ ποταμῷ τέτῳ βοτάνη Ἀυλὸς ὀνομαζομένη, καὶ ἐάν πρὸς ἄνεμον σείσῃ τις μεσικὴν ἔχει μελῳδίαν, καθῶς ἱςορεῖ Δέρκυλος ἐν α Σατυρικῶν.

Sed quid ego haec prolixius? Satis bene ſe res habet, quod in ipſis tenebris quaſi faces ſparſae et ſtellulae micant. Nolo credulos, nec puto fore quemquam, qui in omnibus, quae ad meum ſenſum conſtitui, accedendum mihi exiſtimet; verum uniuerſae quaedam notiones in hoc genere ſatis extra dubitationem poſitae eſſe videntur, quibus iam ſuperſtruere, vbi opus ſit, cetera, ſeueriſſimi cujusque, opinor, bona cum venia licebit.

n) O. M. 9. 317. Ant. Lib. 29. cf. Ael. Hiſt. An. XII. 5.

o) O. M. XI. 190. 193.

PARS ALTERA
DE
AVCTORIBVS ET SCRIPTORIBVS
METAMORPHOSIVM.

Erat autem in metamorphosium genere illustrando alterum, cui hic locus destinabatur, vt dispiceremus *quibus temporibus* et *quorum* tamquam magicis formulis tam larga et mirabilis horum portentorum seges succreuerit. *Variarum* enim *caussarum* adeoque *aetatum multorum* etiam *ingeniorum* esse haec figmenta, nec minus *pleraque* temporum *seriorum*, si cum cetera mythologia compares, sic satis quidem docuit exposita modo singulorum natura; sed vt paulo distinctius haec omnia elucescant, colligenda sunt et ad hunc vsum conuertenda, quae ex fide monumentorum antiquorum certo aut probabiliter affirmare licebit, quum de iis, qui primum data opportunitate adornarent et adhiberent *metamorphoses singulas*, tum de ceteris, qui sparsos quasi flores *sertis et corollis aptare* instituerunt; quo quidem rerum ac temporum ordine disquisitionem nostram moderabimur.

I. Auctores metamorphosium singularum.

Prima autem metamorphosium exempla primi statim graecae antiquitatis testes Homerus atque Hesiodus exhibent.

Homeri

ipsius forte ingenio debemus portentum illud *draconis in lapidem conuersi*, Il. B, 309-319. mutatam-

tamque itidem in ſaxum *nauem Phaeacum*, Od. N. 155 ſqq. Antiquior, vt videtur, eſt fabula de *Niobe* in lapidem montis Sipyli transformata, Il. Ω. 602, de liberis eius necatis haec addidit mythus: *οἱ μὲν ἄρ' ἐννῆμαρ κέατ' ἐν φόνῳ, ὐδέ τις ἦεν Κατθάψαι, λαὺς δὲ λίθυς ποίησε Κρονίων.* Quem luſum natum cenſemus ex *metaphorica* dictione non inepte primum adhibita de iis, qui parum humaniter recuſarent terrae mandare corpora. Antiquioris temporis eſt *Proteus* multiformis, Od. Δ. 417. 455 ſqq. etiam *Pandarei filia* in luſciniam mutata, Od T. 518 ſqq. Iam *Leucotheam* cum *Ino Cadmi* confuſam vides, Od. E. 323 ſq. extiterat item, qui veneficia Circes in *mutandis hominum formis* morali conſilio exornaſſet; Od. K. 238. ſqq. erat etiam prouerbium, quod natos *homines ex lapidibus et arboribus* innuebat Od. T. 163. Dii vero quod humanas ſaepe formas induunt non ita prope ad rem noſtram ſpectat. Vix etiam matamorphoſis aliqua intelligenda ex mente poëtae, ſed mera comparatio, vbi Apollo atque Minerua vt intuerentur certamen Hectoris cum Aiace *φηγῷ ἐφ' ὑψηλῇ* conſediſſe dicuntur *ὄρνισιν ἐοικότες αἰγυπιοῖσι*; item quum Somnus ad ſopiendum Iouem a Iunone excitus, vt lateret, *εἰς ἐλάτην ἀναβὰς περιμήκετον ἧς' ὄζοισιν πεπυκασμένος· Ὄρνιθι λιγυρῇ ἐναλίγκιος* etc. certe eſt comparatio Il. XV. 237 vbi Apollo deſcendit ab Ida *ἴρηκι ἐοικὼς ὠκέϊ φασσοφόνῳ ὅστ' ὤκιςος πετεηνῶν* et locc. ſim.

Heſiodus

multo etiam plura ſuppeditat: ſeparare tamen conueniet, quae ex eius *reliquiis* colligimus, ab iis, quae aliorum fide ex *deperditis* afferuntur. In

Theo-

Theogoniae opere ſpectant propius ad metamorphoſes: *Veneris origo et terrae partus ex Coeli ſanguine* 183 ſqq. *Pegaſus et Chryſaor ex ſanguine Meduſae* 280. In Ἔργοις notentur: Πανδιονὶς χελιδών, 568. *ſecula mundi*, 108-201. *homines ex arboribus et lapidibus*, E. 145. Th. 35. et fragm. ap. Strab. VII. p. 96. *Pandorae creatio*, 70.

At vero etiam Heſiodo aliae plures metamorphoſes tribuuntur ex *deperditis* nunc ſcriptis, quae ſub eius nomine ferebantur, pleraeque vt videtur, ἐκ καταλόγε γυναικῶν. *Atalantam* Heſiodo Schoenei filiam fuiſſe ſcribit Apollod. Bibl. III. 9. 2. p 228. ſed num addiderit ille *metamorphoſin* ipſius et Hippomenis ſeu Melanionis in leones, non intelligitur. De *Autolyco* fabulam narrans Tzetzes ad Lycophr. verſum 344. laudat Heſiodi: πάντα γὰρ ὅσσα λάβεσκεν ἀίδελα πάντα τίθεσκε. Sed, quae nota eſt hominis iactantia, verſum exſcripſit aliunde, ipſam rem minime καθ' Ἡσίοδον refert; nam quod docet Autolycum *immutaſſe characteres* boum, vt ne a dominis agnoscerentur, ſeriorum grammaticorum interpretationem ſapit. De *Batto* in lapidem mutato Heſiodi μεγάλαις Ἠοίαις citat Anton. Lib. f. 23. Vrſam maiorem a Thetye et Oceano ob Iunonis iram aquis prohibitam adeoque *Calliſtus* metamorphoſin Heſiodo tractatam fuiſſe indicat Lactantius Argum. f. V. et VI. l. II. M. O. Ex Apollodoro Bibl. III. 8. 2. p. 224. diſcimus Heſiodum, quum Calliſto nominaret, μίαν τῶν νυμφῶν intellexiſſe, neque adeo cogitaſſe de Lycaonis filia, vt recentiores. De *Heliadibus* Phaëthontis Sororibus Lactant. ad fab. II. et III. L. I. M. *lacrymae earum, vt Heſiodus et Euripides indicant, in electrum ſunt conuerſae*, conſentit Hyginus, CLIV. *harum lacry-*

lacrymae vt Hesiodus indicat in electrum sunt duratae. Lactantius in arg. fab. V. Lib. IV. de *Leucothoe* in thuris arborem mutata: *Hoc Hesiodus indicat*: quod tamen num ad Clytien quoque, seu heliotropium ex puella Clytie natum spectet, non satis intelligitur; apud Ouidium quidem duae fabulae coniunctae sunt. *Myrmidonum* ex formicis transformatorum auctor fuit Hesiodus secundum fragmentum ap. Schol. Pindari et Tzez. ad Lyc. 176. Mythos de *Memnone* attigisse Hesiodum docet Lactant. arg. F. III. L. XIII. num Memnonides aues addiderit, incertum. De *Periclymene* in varias formas mutabili versus Hesiodi etiamnum extant ap. Schol. Apollonii I. 156. in Heroidum recensu ἐν Καταλόγοις quondam obuii vt ex Schol. Il. B. 336. colligit Illustris Heyne, et quidem in *α΄ καταλόγων* sec. Eusthath. p. 231. v. Not. ad Apollod. I. 9. 9. p. 152. s. *Tiresiam* sexum mutasse Hesiodus iam narrauit sec. Apollod. III. 6. 7. p. 210. et Phleg. Mirab.

Eumelus

Corinthius nominandus saltem propter carmen Βουγονία inscriptum, de *apibus*, vt volunt, ex *cadaueribus bubulis* procreandis: sed suppostitium illud erat, si credis Pausaniae IV. 33. p. 361. Eumelus autem refertur ad Ol. 4 et 9. in Chron. Euseb. Hieron. v. Ind. Script. ad Apollod. Bibl. p. 983.

Simonidis,

Amorgini probabiliter, habemus ex opere ethico fragmentum, in quo mores mulierum istius temporis (vixit auctor Archilochi aetate) ita depinguntur, vt pro ingeniorum diuersitate diuersas mulieribus origines *ex animalium* genere, *ex terra* etiam

etiam et *mari* poëta aſſignet. Plura dat Ed. Koeleri V. C. Goettingae. 1781 vbi et leges ſimilem luſum *Phocylidis* ex imitatione Simonidei. De *reliqua multitudine* auctorum, a quibus *ſingulae* metamorphoſes vel *inuentae* vel variis occaſionibus et modis *celebratae* ſint, non niſi paucula quaedam *teſtimoniis* innotuerunt, quibus tamen *exemplorum* loco adhibitis, iudicium ad *rem ipſam* reuocare licebit, nec non ad ea, quae in uniuerſum de *tota mythologia*, eiusque tractandae variis rationibus docuit Illuſtris Heyne in Comment. de Apollod. Bibl. P. III. Nam ſi diuerſa *mythorum adhibendorum genera* percurras, quales in ſingulis fuerint metamorphoſium vel *opportunitates* vel *vtilitates* haud difficulter intelliges, modo ſimul ſingularum *metamorphoſium naturam* in auxilium vocare memineris. Sic nonnullae *ex epicis carminibus* ductam originem prae ſe ferunt e. g. illa de *Anii filiabus*, *Callirhoës a*) *filiis*; in quo genere multa, poëtis antiquioribus prolata audacius, alii in miraculum conuerterunt, praeſertim in ſtudio vetera et vulgaria novo modo adornandi, maxime ſi ſingulae mythorum partes adhuc neglectae accuratius et ſubtilius amplificari poterant. Inprimis autem *Lyricis poëtis* plurimas metamorphoſes debemus, ſcilicet quibus in hymnis *b*) Deorum et heroum laudibus ea potiſſimum conquirenda eſſent, quae ad res patrias et religiones aut certa quaedam loca ſpectarent, quibus operam forte ſuam collocaſſent. Sic *Steſichorus c*), vt videtur pri-

a) cf. ſupra.

b) Etiam illud genus cogita, cuius ſunt hymni Homerici in quibus huc ſpectat fragmentum Hymni in Apoll. a. v. 388.

c) Pauſan. IX. 11 p. 714.

primus omnium Actaeonem a canibus lacerandum pelle ceruina circumdedit; *Pindarus* Glaucum Anthedoniensium heroëm ἐπιχώριον eiusque apotheosin celebrauit, notante Pausania; *d*) *Aeschylus* etiam toto dramate confictο. Nimirum et illud studium, quo *Tragici* fabulas suis consiliis adaptarent, metamorphosibus et inueniendis ex exornandis accommodatissimum fuisse dubium non est, saltem illi ab hoc vsu non abhorruerunt, si vel omnino quale fuerit genus τῶν τραγῳδουμένων cogites. Heliades *Euripidi* adhibitae in Phaëthonte *e*), idem in Menalippo *f*) metamorphosin hujus filiae Chironis et καταστερισμὸν celebrauit. *Sophocles* nouas adeo electri origines induxerat, quum ex lacrymis Meleagridum auium concrescere illud finxisset, operose refutatus et reprehensus Plinio. Idem apud Aristophanem *g*) male audit tamquam auctor Terei in upupam mutati, sed ante eum *Aeschylus* eandem metamorphosin admiserat, quod intelligitur ex fragmento apud Aristotelem H. N. L. IX. ex quo etiam apparet, *qua ratione* et *cur* maxime tragici haec portenta adhibuerint; Scilicet *non conspiciebantur* illa sed *h*) *narrabantur* in scena, nuncii vero gratia eo maior

d) IX c. 22.

e) Lactant. arg. F. II. L. III. l. 1. M. O.

f) Hygin Poët. Astr. in equo.

g) Av. 101. Tereus ipse: τοιαῦτα μέν τοι Σοφοκλέης λυμαίνεταί ἐν ταῖς τραγῳδίαισιν ἐμὲ τόν Τηρέα.

h) vides igitur non recte se habere, vt sunt ab illo loco Aristotelis (Poët. c. XVI ἐν τῷ Σοφοκλέους Τηρεῖ ἡ τῆς κερκίδος φωνὴ) quem illustrare debebant, alienissima, quae notauit Scaliger in Conject. ad Varron. (v. Ill. Harles. ed. A. P p. 116. s.): *non dubium est, quin ageretur μεταμόρφωσις Procnes in Hirundinem quare ad imitandam vocem hirundinis, dum ea metamorphosis ageretur adhibuerunt κερκίδα* & nimium haec remota à grauitate tragica.

maior quo res narranda mirabilior. Chorus etiam non minus commode huiusmodi fabulis patebat: notus in Electra de Niobe mutata locus. Sed haud dubie, nouis inuentis pariter ac veteribus studiosius collectis, celebritas metamorphosium maxima esse coepit, paulatim tamen a pristina dignitate, si qua fuit, degenerantium, ex quo *rerum mirabilium et curiosarum amor* mirum in modum auctus singulorum populorum, maxime barbarorum, singularumque vrbium memorabilia, paradoxorum et teratologiae quaeuis genera, fluminumque adeo ac montium, animalium, herbarum et arborum descriptiones et origines poëtis, et grammaticis omnino, commendauit. Neque enim iam poëtis solis ineptiae placebant, *Sophistarum* quoque ac *Rhetorum* ampullis ornandae, quam rationem vel exemplis singulis in Geoponicis et Palaephatianis, ineptissimam sane et ingeniositate haud ferenda plenam, cognoscere licebit. Itaque iustis querelis Galenus *i*) indignatur quum de aliorum tum de *Pamphili* Grammatici infelici solertia, qui in opere alphabetico de herbis, ipse eorum, quae scriberet plane rudis, additis inter ceteras magicas et superstitiosas ineptias plantarum metamorphosibus, gratiam imperitorum captasset. Ceterum, quibuscunque veteres historias aut mythos celebrare propositum aut opportunum fuit, metamorphoses quoque isto honore dignati sunt. Sic citatur Pherecydes ap. Ant. Lib. auctor in fabula de Alcmenae corpore in lapidem mutato, Bibliotheca Apollodori plerasque mythis antiquioribus additas metamorphoses recenset, *omninoque de historicis, antiquissimis maxime tum et recentioribus, geo-*

i) Opp. T. 2 Bas. ἁπλ. praef. p. 68.

geographis etiam recte hic cogitaueris, exemplis in Herodoto, Diodoro Siculo, Strabone, Pausania, suffragantibus. Adde *rerum naturalium scriptores*, Aristotelem, Theophrastum, cuius liber singularis fuit περὶ τῶν μεταβαλλόντων τὴν χροιὰν, Plinium, Aelianum atque ex deperditis Alexandrum Myndium, ex quo narrat Aelianus metamorphosin ciconiarum. Ceterum laudantur passim nomina paucorum et recentiorum qui fabulas metamorphosibus ornatas carminibus et elegiis adhibuerint. De Pompilo pisce citat Aelianus Ἀπολλώνιον Ῥόδιον ἢ Ναυκρατίτην. Parthenius in Eroticis c. 11. περὶ Βυβλίδος laudat Ἀριστόκριτον, Ἀπολλώνιον Ῥόδιον ἐν Καύνου κτίσει, Νικαίνετον, sed quum addit pauca de fonte ex lacrymis Byblidis enato, hac formula utitur Φασὶ δέ τινες &c. c. 13. περὶ Ἁρπαλύκης quae mutatur εἰς χαλκίδα ὄρνιν, ἱστορεῖ Εὐφορίων Θρᾳκὶ καὶ Δεκτάδας. c. 15. περὶ Δάφνης, ἡ ἱστορία παρὰ Διοδώρῳ τῷ Ἐλαΐτῃ (in latina vers. Elaites. v. Gale ad h. v.) ἐν ἐλεγείαις καὶ Φυλάρχῳ ἐν ιε (opus historicum Vossio 28 librorum) Apollonius Rhodius duobus locis attigit commentum de anguibus ex cruore Medusae. cf. supra f. IV. De ceteris vide indicem auctorum, a quibus habet sua Antoninus Liberalis, infra addendum. Haec autem si de auctoribus Metamorphosium in uniuersum teneas, etiam *tempora*, quibus hoc vel illud genus maxime celebratum sit, hactenus non obscura sunt, quorum si universae notiones animo insidebunt, plura etiam facile intelligentur, quae addere longum foret. Nonnulla tamen, quae non sunt ita in promtu, dicamus accuratius. Etenim dubium vix est, quin doctrinas *de metempsychosi* evulgatus lusus in metamorphosibus liberior secutus sit, si non eodem modo, quo (conf. supra f. I.) Cl.

 Schnei-

Schneider ſtatuebat, minime abſono, ſi aderit probabilitas hiſtorica, certe hactenus, vt iam non modo *oblatam caſu* fingendi opportunitatem amplecterentur poëtae, ſed noua metamorphoſium genera celebrarent, in quibus non tam *ex ipſa re* metamorphoſes adornandi *conſilium* ortum eſt quam *ad illud conſilium ante conceptum* res *accomodatae* aut *conficte* ſunt. Nam ſi ante Pythagoram dogmata de animis humanis in brutorum corpora emigrantibus nondum inter Graecos innotuiſſe conſtat, adeoque vel *ante has opiniones* ſimilia quaedam fingi potuerunt, aliis tamen ex cauſſis facile explicanda, e. g. Simonidis Amorgini luſus de ortu mulierum, nec non Alcaei *a*) in fragmento apud Phlegontem Trallianum ſeruato; *multo* ſane *magis*, quum Pythagorei ſeipſos aliorum quondam hominum, quid? piscium et ſtipitum forma priscis ſeculis interfuiſſe non dubitarent affirmare, multo inquam facilius *b*) *mos* inualeſcere potuit, *animalium et plantarum origines ex hominibus*, fictis hoc conſilio fabulis celebrandi. Hujus igitur generis initia cadent in tempora quae *Pythagoram inter et Ariſtotelem* effluxerunt, nam in Ariſtotele *prima* nobis, ſaltem *certiora*, veſtigia occurrunt, niſi quae ad *ipſos Pythagoreos* pertinent, in eorum reliquiis obuia. Ex his illud Empedoclis apud

a) optat, ſenex quum ſit, κήρυλος (alcedo mas) fieri, quod hae aues ſi ſint ſenio confectae portari alis iuniorum, eorumque cura ſuſtentari putabantur.

b) Hinc ſimilia figmenta fuerunt apud *Indos*, qui metempſychoſin agnoſcerent, ſi quidem recta narratur ab Aeliano fabula Brachmanum de upupa. (Ael. H. A. 16. 5. locus lectu dignus) quae avis orta ſit ex transformato a Sole puero regio, qui parentes in fuga comitatus, quum illi ſuccumberent aegritudini ac vitam finirent, eos mortuos in ſeipſo, capite ſuo diſſecto ſepelierit. Quod quamquam adſurdum eſt, et mihi ſaltem ſenſu caret, videtur tamen ad metempſychoſin ſpectare.

apud Aelianum XII. 7. de ſato bonorum virorum poſt mortem Ἐν θηρσὶν δὲ λέοντες ὀρειλεχέες χαμαιεῦναι Γίνονται, δάφναι δ' ἐνὶ δένδρεσιν ἠϋκόμοισιν. Quum autem *in Homero* reperiatur fabula de Pandarei filia in *lusciniam* mutata, quam, ſi cetera exempla ſatis ad illa tempora accommodata ſunt, vnam ab iis abhorrere et inuentis poſt ſomnia demum pythagorica ineptiis dignam eſſe iudicaueris; probe animo verſandum illud eſt, ſaepius eandem ſpeciem rerum diuerſo tempore et apud diuerſos exiſtere, cauſſis licet quam maxime diuerſis. Et ne ipſum Homeri locum ſollicites, in Heſiodo ex eadem fabula, quamuis diuerſo modo ornata, occurrit: Πανδιονὶς χελιδών, et ita quidem vt duo verſus abeſſe non poſſint, niſi ipſum ſenſum mutare ſatius putes. Lusciniae autem et hirundinis cantus lugubris ad *comparationem* eſt aptiſſimus, ab ipſa vero *comparatione* ad *metamorphoſin* via poëtarum audaciae haud invia, in hac fabula forte poſt plures demum *imitationes et repetitiones* tentata. Analogicum eſt illud: λαὸς δὲ λίθους ποίησε Κρονίων, *metaphoricum* primo, vt videtur; Homero *proprie* adhibitum. Omnino apparet hos mythos ante Homerum et Heſiodum longe lateque iactatos et ad diuerſa loca et diuerſas perſonas (communicatione poëtarum et coloniarum) accommodatos fuiſſe. Eodem fere modo erit moleſtum, quod fabulam de Leucothoe in *thuris arborem* mutata, forte et de Clytie, quae in heliotropium abiicrit, Lactantius ad *Heſiodum* auctorem transfert. Eius quidem verba, vt poſita ſunt, poſſes tantum de *fabulis* ipſis, non item de *metamorphoſibus* additis intelligere, ſed ipſae fabulae videntur confictae eſſe *plantarum gratia*, et quod paulo uberius exornatae ſunt, fortaſſe Ouidio debent. Eſſet

 etiam

etiam in promtu Lactantii auctoritatem incusare aut operis temere Hesiodo adscripti, sed tamen si est aliquid ad Hesiodum referendum, cogites in his maximam esse *procliuitatem* ad metamorphoses; quippe thuris arborem et heliotropium amare Solem et amari a Sole aptissime ad naturam dicitur, iam vero prosopopoeïa quaedam occasione oblata minime omnium ab Hesiodo aliena erit; extitit tamen res, idque est illud, quod volumus, prorsus *alio modo*, et *diuerso consilio*, quam apud *recentiores* in hoc genere auctores, quos tamen ad meras argutias prolapsos esse vel eo nomine minus miraberis, si in Homero atque Hesiodo non remota solum sed etiam propiora ad illos lusus exempla haberent.

II. *Auctores, qui Metamorphosium opera scripserunt.*

Aliquanto fortasse tutius et felicius adeo versari licebit in parte argumenti, quae restat, eum scriptorum numerum exhibitura, quos scimus *metamorphosium antea inuentarum concinnationes* quasdam a reliquis fabulis tamquam singulare genus separasse. In quo recensu temporum ratio, dum licebit, seruanda est; si qui sunt aliis scriptis et memorabilibus notiores, ut ne quid addatur, nisi quod ad propositum spectet, cauebimus.

Primum igitur locum non tam propter aetatem certo definiendam, quam ob fabularum genus antiquum obtineat

Boeus.

Athenaeus IX. 393. Βοῖος ἐν ὀρνιθογονίᾳ ἢ Βοιὼ ὥς φησι Φιλόχορος, legebatur olim: ἐν ὀρν. ἢ Βοιῷ, tamquam alia haec esset operis inscriptio; restituit

Βοιὼ

Βοιώ Caſaubonus. Adeoque vetuſtum erat carmen et a quibusdam v. c. a Philochoro, *feminae* et poëtriae antiquae, apud *Delphicos,* ſecund. Pauſaniam X. V. p. 809. adſcriptum. Βοῖος eſt ὀρνιϑογονίας ſcriptor *Antonino Liberali*; hinc Boeus ſcribit Harduinus in catalogo auctorum L. X. Plinii et in ipſo l. x. vbi de aquilis laudantur *Phemonoë et Boeus.* Lectio corrupta *Boëtus*, *Boëtius*, *Boëthius*, praebebat. Ὀρνιϑογονία Boei citatur *Athenaeo* l. l. *Plinio* in catal. auct. l. x. *Antonino Liberali* ſaepius. De *ipſo opere* Athenaeus: καϑόλȣ δὲ ὁ ποιήσας ταῦτα τὰ ἔπη πάντα τὰ ὄρνεα ἀνϑρώπȣς ἱϛορεῖ γεγονέναι *a*) Ex *reliquiis* autem fabularum apud Antoninum Liberalem apparet, quod òmnino res ipſa monet, obſeruationes quasdam de *natura*, *nominibus*, *victu*, *vocibus*, *et locis* auium opportunitatem fingendi dediſſe, neque ſingulis exemplis immorari neceſſe eſt. Sed notabile, quod non ſtatim cuiuis expeditum erit, ſi in ſingulis narratiunculis *plures perſonae* occurrant, adeoque *plures in fine metamorphoſes* addantur, non *temere* hoc factum eſſe, ſed *meliori* fere *conſilio* et *arte*, quam ipſae fabulae *per ſe* ſpectatae praeferent, adornatum. Scilicet *coniunguntur aues, quae eiusdem generis eſſe viderentur.* Sic c. 19. καὶ ἐϛιν ἐξ αὐ-

τῶν

a) fabulas ex eo attingit Athenaeus Cycnum a Marte in auem mutatum, et mulierem Pygmaeam transformatam in gruem, quae eſt Antonino Liberali Oenoë; hoc nomen non habet Athenaeus, conſentit tamen in mariti nomine Nicodamantis. Euſtathius qui Athenaeum exſcripſiſſe videtur Il. ψ. p. 1444. mulierem Γεράναν nominat, item Aelianus XV. ult. hinc apud Athenaeum alii Γεράναν alii Οἰνόην ex Ant. Lib. inſerunt (v. not. in Ant. L. Verheyk.) ſine neceſſitate vt mihi videtur. Sed res non tanti eſt vt accuratius exponatur, quamquam momentum habet in eo, quod, ſi in Boeo nomen fuit Γεράνα, parum fide ex eo fabulas transſcripſiſſe Ant. Lib. exiſtimandus ſit, qui vel nomina perſonarum ſine cauſſa immutaret.

τῶν τὸ γένος τῶν οἰωνῶν λαΐοι καὶ κολοιοὶ καὶ κέρβεροι καὶ αἰγώλιοι. Pertinent ad claſſem γαμψονύχων ſecund. Ariſtotelem, et quod petras et loca deſerta incolunt, ex hac re nata eſt fabula, quae praemittitur. c. 15. modo ea fabula eſt Boei, coniunguntur: γλαῦξ, βύσσα, χαραδριὸς, νυκτικόραξ. Hae vero aues (nam βύσσα, putò, eadem eſt, quae c. 10. ſcribitur βύζα. νυκτερὶς, γλαῦξ, βύζα, ἔφυγον δὲ αἱ τρεῖς τὴν αὐγὴν τȣ̃ ἡλίȣ) ſunt ex genere *nocturnarum*, quaeque rupes et loca deſerta incolant. Ex *diverſo genere coniiunguntur aues, quae viuendi rationem et mores aut locum communem habeant.* Sic in fab. 7. Ἄνθος inſer. pater quidam liberos habuiſſe fingitur: Ε'ρωδιὸν, Σχοινέα, Ἄκανθον et filiam Ἀκανθυλλίδα, poſſidet agrum non frumentis ſed paſcuis bonum, iuncis tamen et dumetis repletum, alit igitur equos, quorum paſcendorum curam habent maxime mater familias et filius Ἐρωδιὸς, alter autem filius Ἄνθος ſolet equos ex paſcuis abigere, qui exaſperati aliquando hac petulantia mordicus laniare puerum coeperunt. Pater prae timore ſegnis eſt in ſuccurrendo, item ſeruus ſeu paedagogus Anthi, mater autem ſola contra equorum ferociam depugnans nihil proficit. Deplorantes igitur puerum miſere diſcerptum omnes deorum beneficio in aues mutantur, Pater in ὀκνὸν, quod ὤκνησε in auxiliando; mater in κορυδαλὸν, ὅτι ἐκορύσσετο πρὸς τὰς ἵππȣς μαχομένη; Ἐρωδιὸς in auem ſui nominis; etiam ſeruus piger in ἐρωδιὸν, ſed diuerſum ab illo; Σχοινεὺς, Ἄκανθος, Ἀκανθυλλὶς in aues ſui nominis. Quod autem maxime ſpectandum eſt in hac fabula, *coniunguntur plura genera auium, quae in loco eiusmodi, qualis a poëta deſcriptus eſt, degere et conſpici ſoleant,* circa paſcua ſcilicet aut paludes, vbi iunci et dume-

me-

meta et gramina naſcantur Σχοινεὺς enim quod in *iuncis* degat, ἄκανθος et ἀκανθυλλὶς quod *ſpinis* delectentur et carduis, vel nomina ipſa indicant. *Eadem* vero loca amant Ἐρωδιοὶ, *Ardeae,* quarum *tres diuerſae ſpecies* notantur in fabula, de quibus ſic *conſentiens egregie Ariſtoteles* L. IX. 18. τῶν δὲ ἐρωδιῶν ὁ μὲν πέλλος (niger) — τῶν δὲ λοιπῶν δύο, τρία γὰρ γένη ἐςὶν αὐτῶν, ὁ μὲν λευκὸς — νέμεται δὲ ἕλη καὶ λίμνας καὶ πεδιὰ καί λειμῶνας ὁ δὲ ἀςεριὰς ὁ ἐπικαλέμενος ὀκνὸς μυθολογεῖται μὲν γενέσθαι ἐκ δέλων τὸ ἀρχαῖον, ἐςὶ δὲ κατὰ τὴν ἐπωνυμίαν τέτων ἀργότατος. Apud Boeum igitur, Ἐρωδιὰς qui dicebatur, in πέλλον abit, famulus pueri in λευκὸν, ita deſcriptum Boeo: ἐχ᾽ ὅμοιον, ἧσσων γὰρ ἐςι ἱκανῶς τε πέλλε. Pergit Boeus in ratione fabulae reddenda καὶ ἐ γίνεται σύνεδρος ἔτος ὁ ἐρωδιὸς Ἄνθῳ, καθάπερ ἐδ᾽ ὁ Ἄνθος τῷ ἐφίππῳ (avis ignota, ſed equis forte amica, vt otis) ὅτι μέγιςα κακὰ ἔπαθεν ὁ Ἄνθος ὑπὸ τῶν ἵππων, καὶ ἔτι νυν ὅταν ἀκέσῃ φωνεντος ἵππε, φεύγει μιμέμενος ἅμα τὴν φωνήν. De Antho eadem fere Ariſtoteles narrat IX. 2. Ἄνθος δὲ ἵππῳ πολέμιος. ἐξελαύνει αὐτὸν ὁ ἵππος ἐκ τῆς νομῆς, πόαν γὰρ νέμεται ὁ ἄνθος — μιμεῖται δὲ τε ἵππε τὴν φωνὴν και φοβεῖ ἐπιπετάμενος καὶ ἐξελάυνει, ὅταν δὲ λάβῃ κείνει αὐτὸν (ſcil. ὁ ἵππος) οἰκεῖ δὲ ὁ ἄνθος παρὰ ποταμῶν καὶ ἕλη. Multa alia in his *fabulis ſpectant ad auguria et omnino* ad συνεδρίας et διεδρίας auium, quae Ariſtoteli verbis in hac re propriis dicuntur, eodem notante, ex obſeruata quadam inimicitia et pugna animalium inter ſe deriuandae. *Ob auguriorum igitur rationem diuerſi generis aues Boeo in iisdem fabulis adhibentur coniunctae*, e. g. c. 11. ἔποψ, ωλκυόν et ἁλιαιετος. Ἀηδόνος ἀδελφὸς ἐγένετο ἔποψ ἄισιος καὶ πλέουσι καὶ ἐπὶ γῆς φανεὶς, σὺν ἁλιαιετῷ δὲ ἢ ἁλκυόνι μᾶλλον. *Vpupam* autem cum aui-

bus

bus *marinis* conſpici poſſe, ne mireris, eſt enim ὄρνις πετραῖος et πάγυς οἰκεῖ ſec. Aeschylum in fragm. ap. Ariſt. IX. et ipſum Ariſtotelem; ſed quod *raro* forte accidit, maxime vt *cum alcedine*, quam ipſam raro in conſpectum veniſſe legimus, ſimul viſeretur, in eo, ſcilicet, eſt *augurii praeſtantia.* Haec autem ſufficiant, vt conſtet tibi, poëtam luſus ſuos *ſeriis* etiam rebus plerumque ſuperſtruxiſſe. Vellem de ceteris, quae iam ſubtilius perſequi alienum foret, relegare ad interpretes, ſi illi quidquam praeter verba in Antonino Liberali explicatum dediſſent.

Antequam vero de Boei *aetate* inquiramus, monenda ſunt commodo loca paucula, quae ad *ipſum argumentum*, quod ὀρνιθογονία tractauit, pertinent. Extra dubitationem poſitum eſt, fuiſſe *ante Boeum*, qui de *auium natura et moribus* accuratius perſcripſiſſent, *auguriorum* quoque docuiſſent quaſi rationem ac viam. Omnino autem vt in auium naturam ſtudioſius inquireretur cauſſa praecipua fuit in *auguriorum uſu*; ferebantur adeo inter Graecos antiquiſſima *carmina de auibus* a peritis diuinandi ſcientiae compoſita, quale erat illud, quod *Phemonoës a*) Pythoniſſae ante Homeri tempora, vt aiunt, celeberrimae putaretur. Et ſane quum nondum *Hippocratem* atque *Ariſtotelem* ſecula tuliſſent, *poëtae*, *ſacerdotes*, *vates* in hoc genere auctores erant, quorum doctrinae *veſtigia* vel in *Ariſtotele* deprehendimus, in quo *obſeruationes de συνεδρίαις* et διεδρίαις adeoque de pugnis et diſſidiis aut amicitiis inter aues et

a) v. Fabric. B. Gr. 1. p. 153. Plin. l. X. ubi aquilarum genera recenſentur. c. 3. Phemonoë Apollinis dicta filia dentes ei eſſe prodidit — Eandem aquilarum nigerrimam. Conſentit et Boeus. c. 19. Triorches (ex vulturum genere) cui principatum in auguriis Phemonoë dedit.

et cetera animalia *vaticinandi artem* ſapiunt, *mores* deinde *brutorum* ad *humanae indolis* ſimilitudinem deſcripti, *poëticum* produnt, rem per ſe hominibus maxime naturalem, uberius exornandi ſtudium. *Sic* quoque ſubnatum eſt aliquando conſilium *ornatus cauſſa metamorphoſes*, i. e. avium origines addendi, quod artificium, *poſt tot exempla*, licet in diuerſo genere, *nequaquam nouum* et inauditum, in *hoc* argumento etiam placuiſſe, mirum nobis non erit, quum omnino *animalia contemplari et deſcribere vix poſſent*, vt ne de *humanis* ſimul rebus et naturis cogitarent. Vt videtur res ſuadere, *in ſingulis exemplis* primum metamorphoſes tentatae ſunt, ſi qua maxime viderentur opportunitatem praebere luſui, antequam eſſent, qui ad *totum auium genus* conſilium accomodarent, qualem Boeum fuiſſe nouimus. *Ante Ariſtotelem* vero huius generis metamorphoſes non tantum notas et paſſim inuentas, ſed obſoletas fere ad *nugas vulgares* et aniles abiiſſe, veriſimillimum. *Raro* quidem ille horum mythorum mentionem facit, ſed de Chlorione aue locutus addit: *ὅν ἔνιοι φασὶ γενέσθαι ἐκ πυρκαΐας*: adeoque *pluribus* iam auctoribus, ſaltem *ſermone vulgi* mythologia illa increbuerat.

Iam inter *eos*, quos innuit Ariſtoteles, quo minus *Boeum* reputemus, quae Cl. Schneideri *b)* coniectura eſt, *nihil obſtat* quidem et forte ipſae fabulae, quae vt leguntur apud Antoninum Liberalem ſunt fere rudiores et horridulae, vt ita dicam, aetati antiquiori maxime conuenire cenſebuntur; ſed alia probabilitatis argumenta equidem non video. Nam quae de Antho ex Ariſtotele et Boeo ſupra

a) l. c. *in der Monatſchrift v. G. u. B.*

exſcripſimus, quodammodo, fateor, *conueniunt*, ſed *non ita*, vt *Boeum ante oculos* fuiſſe Ariſtoteli affirmes, *neque ex Boei ſententia* dixit Ariſtoteles ἐρωδιὸν ὀκνὸν dici ἐκ δούλων γενέσθαι: ὀκνὸς *Boeo* mutatur *ex patre*, qui tardus fuerat in liberando mortis diſcrimine filio, δοῦλος in eadem fabula fit ἐρωδιός, ſed *ille*, qui λευκὸς dicebatur, et forte variandi et nouitatis ſtudio Boeus a *uulgari mytho* receſſit; ὀκνὸν *ex ſeruo* pigro mutatum etiam *Aelianus* narrat, idemque addit, in Aegypto hanc Ardeam cicurari et adſueſci vt, ſi δοῦλος quis increpet, moleſte ferat, tamquam pigritia et indigna origo exprobretur, quod cur adſcititium (*einen falſchen Zuſatz*) nominet Cl. Schneiderus, niſi reſpectu Ariſtotelis, neſcio, nam rem ipſam in pſittacis aliisque auibus cernere licet, quae adſueſiunt vt certis ſonis auditis indignentur. Cum Boeo igitur de primo loco contendat, ſi recte Pindaro illa aequalis ſeu paulo prior aetate intelligitur,

Corinna,

Hoc enim nomen citat Ant. Lib ad Cap. 10. et capite 25 legimus: Κόριννα ἑτεροίων α΄, niſi forte eſt vitium pro ἑτεροιουμένων, ſaltem Corinnae *Metamorphoſes* citari intelligis, quae tamen num tribuendae ſint nobili huius nominis feminae Thebanae aut Tanagraeæ, quae carminibus lyricis Pindaro etiam victo inclaruit, an vel Theſpiae ſ. Corinthiacae vel Thebanae item, ſed iuniori, quum has nominet Suidas, nulli metamorphoſes adſcribens, in medio relinquendum. Licet tamen credere, quum nihil ſaltem repugnet, fuiſſe opus inſignioris ex his tribus feminis, cuius in fabulis et mythis colligendis et carminibus ſuis intexendis artificium et ſtudium ſum-

ſummum fuiſſe conſtat, a quo ingenio metamorphoſium genus non abhorret. Ex Antonino Liberali nouimus ſaltem, *Minyadum* et *Orionis filiarum* fabulas ab ipſa celebratas eſſe, quae *Thebanam* aut *Boeoticam* maxime decebant.

Calliſthenes.

Ex cuius *μεταμορφώσεων α´* narratur a Plutarcho in Parallelis minoribus p. 306. fabula, iisdemque fere verbis apud Stobaeum et Apoſtolium in *Αἰγισθέου πέδημα*, qui Plutarchum exſcripſerunt. Scilicet, vt ipſam fabulam breuiter complectamur: in Phrygiae quadam urbe (*κατὰ Κελαινὸν* Plut. — *νὰς* Stob.) terram, Midae temporibus, labem feciſſe aqua ſimul erumpente, vt multa aedificia cum ipſis incolis abſorpta reliquis eandem ruinam portenderent. Ex oraculo rebus pretioſiſſimis in voraginem coniectis nec auro eam potuiſſe expleri, donec regius filius Aegiſtheus mentem Dei aſſecutus eo ſemetipſe praecipitem daret; ſic terram coiiſſe. Midam eo loco ſtruxiſſe aram Ioui Idaeo, eamque, manu tactam, auream feciſſe, hanc aram eo tempore quotannis, quo clades illa extiterit, lapideam fieri, feſtis vero diebus liberatae diſcrimine ciuitatis redeuntibus, auro denuo niteſcere. Metamorphoſis potuit ex *re vera* narrari, quum ara illa luctus aut gaudii teſtandi cauſſa vel ornaretur auro vel nudaretur; hinc Midas adſcitus, propter aurum.

Calliſthenem vero nouimus *Olynthium*, Ariſtotelis conſobrinum et auditorem, hiſtoricis quondam ſcriptis, maxime de rebus geſtis Alexandri, et violentae mortis fato celebrem. Hunc etiam Anatomica ſcripſiſſe, item de herbis, notat Fabricius XIII. 107. forte nec Metamorphoſium genus ſe indig-

dignum putauit. Sed quum Callifthenem alium *Sybaritam* laudat Plut. de flum. *Ἄραρ qui *γαλατικὰ* confcripferit, adeoque de fingulis operibus, quae Callifthenis nomine citantur, merito nihil affirmant VV. DD: nec de metamorphofium auctore certo quidquam ftatuere licebit. Probabilitatis autem qualiacunque argumenta, quibus forte accedet aliquando quod iudicium regat, haec funt. Callifthenis metamorphofes citantur Plutarcho in Parallelis minoribus; in *eodem* libello Callifthenis quafi eiusdem et auctoris notiffimi occurrunt p. 307. Μακεδονικὰ, p. 313. *Θρακικά*. Iam fi haec Olynthii videbuntur, vt videntur fane, Plutarchi faltem opinione idem forte Metamorphofium auctor fuit. Callifthenis porro laudantur *κυνηγετικὰ*, *περίπλυς*, *παρατερήσεις* (prognoftica) eiusdem forte putandae funt ex *cognato genere* metamorphofes. Cynegeticis utitur Plut. de flum. *Γάγγης*, narrans ex iis rationem capiendi tigres ad Gangem vfitatam. Ex Γαλατ. γ' Callifth. Sybaritae ibid. in *Ἄραρ* refertur origo fabulofa nominis Arar in fluvio Galliae, necnon pifcis in eo magni mirabilis natura et *metamorphofis*, quum ex albo niger fiat decrefcente luna. Callifthenis *Sybaritae* aetas ignota eft.

Antigonus,

cuius citantur Ἀλλοιώσεις ab Antonino Liberali c. 23. in fabula de Batto. Varios Antigonos vide commemoratos Meurfio Opp. vol. 7. ad calcem Antigoni Caryftii de mirabil. Antigonum nempe Alexandrinum, Grammaticum; Antigonum Cumanum, qui de re ruftica fcripferit, Varroni et Columellae laudatum; Mathematicum denique Antigonum Aegyptium. Sed diuerfo ab his, *Caryftio*, Meurfius

iure optimo *a*) vindicat opuſculum de rerum miraculis; *eidem* vero ſi Ἀλλοιώσεις tribuimus auctori, quemadmodum et Fabricio probabile viſum, ex coniectura id facimus, quum ſaltem eius ſcriptis περὶ ζώων (v. Meurſ. l. l.) item ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγῇ optime ἀλλοιώσεις conuenire videantur. Aetatem vero Antigoni Caryſtii Meurſius accuratius definire non potuit; ſub Ptolemaeo Philadelpho vixiſſe eum oſtenderunt Voſſ. Hiſt. gr. L. I. c. 12. Dodwell. de aetate peripli Hannonis §. 21.

Nicander.

Temporibus Attali II. Pergamenorum regis ab Ol. 150 ad Ol. 160. Scripſit ἑτεροιουμένων libros V. ſecundum Suidam; *primum* allegat Stephanus Byz. in ἀσπαλάθεια, *quartum* Antoninus Liberalis, Athenaeus, VII. p. 305. Reſpiciunt hoc opus (ſcilicet quum Nicandri nomen laudant, libro non addito) Ant. Lib. c. 35. et Tzetzes ad Lycophr. 183. Laudat etiam Athenaeus p. 82. (Fabricius B. G. Vol. II. 26. l. III. p. 618.) Quodſi medicis ſuam operam in ſcriptis, quae ſuperſunt, parum probauit, habet tamen laudem *poeticae facultatis*, qua eum Cicero, de Orat. 1. 16, *praeclare de rebus ruſticis ſcripſiſſe* affirmat, quamque ſec. Quintilianum, X. 1. p. 905. *ſecuti ſunt Macer b*) *atque Virgilius*. Si de *metamorphoſium opere* ex *reliquiis* apud Ant. Lib. iudicandum eſt, *argumenta* fabularum ſatis apta et iucunda elegit, *ornamentis* autem rerum poëticis, quate-

a) Scilicet Steph. Byz. in v. γύαρος locum Antigoni Caryſtii laudat, eadem vero verba in παραδόξων συναγωγῇ leguntur

b) Macer Veronenſis ſcripſit de volucribus et herbis. v. Not. a Q. l. c.

quatenus eorum in excerptis et ſoluta oratione veſtigia translucent, nec crebris vſus eſt, neque optimis, ſi cum Ouidio compares, qui omnes fere fabulas ab Ant. Lib. Nicandro adſcriptas niſi uberius tractauit, attigit tamen, qua de re ipſam comparationem libello ſubiungendam conſulas. Extant praeterea ex ἑτεροιουμένοις *tria fragmenta*, quae docent ſaltem *metrum heroicum* fuiſſe. *Steph. Byz.* Ἀσπαλάθεια. πόλις Ταφίων. Νίκανδρος ἑτεροιουμένων πρώτῃ

Ἀσπαλάθεια βοήροτος.

nota Holſtenii: *exiſtimaui legendum* Ἀσπ. βοηνόμος. i. e. *boues paſcens.* Athenaeus VII. p. 305.

Ἢ σκάρον ἢ κίχλην πολυώνυμον-

ſunt nomina piſcium ſec. Ariſt. et Aelianum *colores* ſubinde *mutantium*, quorum adeo vel idcirco in metamorphoſibus obiter mentio fieri potuit. forte eam ipſam ob cauſſam κίχλη πολυώνυμος fuit, ſub variis nominibus veniit; cetera dabit Athenaeus l. c. Idem III. p. 83: διάφορα δὲ μῆλα γίνεται ἐν Σιδοῦντι, κώμη δ' ἐστὶν αὕτη Κορίνθου. Μνημονεύει δ' αὐτῶν καὶ Νίκανδρος ἐν ἑτεροιουμένοις οὕτως.

Αὐτίχ' ὅγ' ἐκ Σιδόεντος ἢ ἐ Πλείου ἀπὸ κήπων
Μῆλα ταμὼν χλοάεντα τύπους νωμήσατο Κάδμου -

Caſaubonus: *videtur poeta de amante hoc ceciniſſe, qui familiari veterum more nomen eius, quam peribat cortici mali inſculpſerit:* τύπους *enim Cadmi quid aliud, quam litterarum characteres interpretemur?* Et *in vniuerſum* recte quidem ille. Νωμήσατο de ipſa litterarum per malum collocatione et diſtributione, vt ita loquar. Sed licebit *accuratius* de fragmenti ſenſu diſſerere ex Antonino Liberali: apud quem ſtatim in prima narratiuncula, ex Nicandri Ἑτερ. γ. depromta, *Hermochares* quidam *Athenienſis Cteſyllae*

ſyllae ex *Cea* inſula oriundae, quam in feſto Apollinis *Cartheae* choreas ducentem viderat, amore capitur. Qui quidem vt puellam quaſi oraculi auctoritate ad mutuum amorem commoueret ἐπιγράψας μῆλον ἔῤῥιψεν ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος, ἡ δὲ ἀνείλετο καὶ ἀνέγνω. ἐνέγραπτο δὲ ὅρκος κατὰ τῆς Ἀρτέμιδος ἦ μὴν γαμηθήσεσθαι Ἑρμοχάρει Ἀθηναίῳ. illa vero indignabunda abiecit malum καὶ χαλεπῶς ἤνεγκεν ὥσπερ ὅτε Κυδίππην Ἀκόντιος ἐξηπάτησεν. De *Cydippe* et *Acontio* ſimilis fabula eſt apud Ouidium in Heroidibus. Dices autem manifeſtum eſſe agi in fragmento de *Hermochare* et malo illo ad *fraudem Cteſyllae* ſtruendam praeparato. Sed ſi cogitas haec fieri debuiſſe in *Cea inſula*, non intelligitur, quomodo mala petere potuerit Hermochares ἐκ Σιδόεντος, qui locus eſt in *agro Corinthio*, aut ex hortis ad *Pliſtum*, fluuium in *Phocide*. — Quapropter melius haec quadrant in *Acontium*, qui *Cydippen* decepit *Delphis*, ſi Ouidium audis; quamquam vel ſic τὸ ἐκ Σιδόεντος *magis docte* poſitum eſt, propter malorum Siduntiorum praeſtantiam, quam probabiliter, quum locus facile adiri non potuit, ſed *ferenda* tamen doctrinae oſtentatio propter *correctionem* ἢὲ Πλείςυ ἀπὸ κήπων. Miramur autem, quod eandem rem, quae omitti non debebat in fabula de Hermochare, iterum accuratius enarrare poeta voluit in altera illa et ſimillima de Acontio, quam verbo tetigiſſe, niſi quod verecundius iudicandum eſt de loco haud integro, praeſtabat.

Parthenius.

Euſtathius ad Dionyſ. Perieg. 420. ὡς Παρθένιος ὁ τὰς μεταμορφώσεις γράψαι λεγόμενος. *Suidas* Metamorphoſes in Νέςωρ tribuit *Parthenio Nicaeno*, ſed

ipſe

ipſe ſibi haud conſtans in Παρθένιος alii cuidam huius nominis *Chio*. .Videndum igitur ante omnia de *hoc diſſenſu*. Ad vocem Νέϛωρ haec leguntur: ἔγραψε δὲ Μεταμορφώσεις ὥσπερ καὶ Παρθένιος ὁ Νικαιεὺς καὶ ἄλλα. *Hic locus* autem *non ſuſpectus* eſt, niſi quod falli poterat ſcriptor, qui *ex memoria* forte Parthenium Nicaeenſen adiungeret. Adeoque *potior* videri debebat ille locus, qui de Partheniis agit, vbi ſic Suidas: Παρθένιος Ἡρακλείδȣ καὶ Εὐδώρας. Ἕρμιππος δὲ Τήθας φησὶ, Νικαιεὺς ἢ Μυρλεανὸς, ἐλεγειοποιὸς καὶ μέτρων διαφόρων ποιητής. οὗτος ἐλήφθη ὑπὸ Κίννα λάφυρον ὅτε Μιθριδάτην Ῥωμαῖοι κατεπολέμησαν, εἶτα ἠνείθη διὰ τὴν παίδευσιν καὶ ἐβίω μέχρι Τιβερίȣ τȣ͂ Καίσαρος. ἔγραψε δὲ ἐλεγεῖα ᾿εις Ἀφροδίτην, Ἀρήτης ἐπικήδειον, τῆς γαμετῆς Ἀρήτης ἐγκώμιον, ᾿εν τρισὶ βιβλίοις, καὶ ἄλλα πολλά. Iam quod inter ſcripta huius Parthenii Nicaeni non recenſentur Metamorphoſes, ſi fuerunt eiusdem, minime moleſtum eſt. Vides quam. perverſo epitomatoris delectu ea nominentur, quibus clarus quondam poeta vix ſuam laudem debere potuit. Neque erroribus carere Viri Docti monent, quod is a Cinna in bello Mithridatico captus centum fere poſt eum annos ad Tiberii tempora ſuperſtes fuiſſe perhibetur (qua de re v. Voſſ. de hiſt. II. c. 1. et poët. gr. Gale diſſ. de Apollod. et Fabric. B. G.); quamquam non eſt, cur ſtatuas cum Gale duos Parthenios eſſe confuſos, quod ἐλεγεῖα εἰς Ἀφροδίτην in Schol. ad Epigr. Gr. L. III. c. 40. tribuantur Chio, hunc autem Tiberii forte aetate vixiſſe. Sed de *Chio* ſubiungit Suidas: Παρθένιος Χῖος ἐποποιὸς, υἱὸς Θέϛορος, ὃς ἐπεκαλεῖτο (Χαὸς filius, puto, Parthenius, ob ſcribendi genus obſcurum, vt uidetur) Ὁμήρου δὲ ἦν ἀπόγονος. ἐποίησε εἰς Θέϛορα τὸν ἑαυτȣ͂ πατέρα. Iam vero additur, quod in noſtra re mo-

re moleſtiam facit: ἔτος ἔγραψε περὶ μεταμορφώσεως, indocte pro μεταμορφώσεις. Sed notandum eſt, haec ipſa verba Kuſterum demum ex Mſc. Pariſienſi, eodem tamen antiquiſſimo, reuocaſſe, quum in reliquis codd. et edd. deſiderarentur. Adeoque vel illud dubium eſt, annon *ex gloſſemate, iniquo loco*, in textum irrepſerint, quod aliquis ex voce Νέστωρ, vbi Parthenii Nicaeni metamorphoſes laudantur, hanc notam ad Parthenium, ſed *Nicaenum*, adſcripſerat. Quapropter, quum anceps horum locorum auctoritas ad certum iudicium vix perducat, ſi alia iam ſubſidia circumſpicimus, *alios* quidem *Parthenios* excitat Gale l. l. *Grammaticum* quendam Dionyſii Alexandrini diſcipulum ſub Nerone (ex Athenaeo et Euſtath. 1412. Il. it. 567. Od. Ed. Frob.), et *Phocenſem*, Nicaeno longe ſeriorem (ex Steph. Byz. in Γέτθοι et Δεκέντιοι). Sed *hoc ſaltem Suidae tribuendum eſt, vt in Nicaeno et Chio dubitatio ſubſiſtat*, quum de auctore metamorphoſium quaerimus.

Eſt autem, quod moueat me, vt *maiori probabilitate* ad *Nicaenum* hoc opus pertinere exiſtimem, qua ipſa re, licet *per ſe* non ſatis firma ad fidem, quoniam *accedit alter Suidae locus*, illud effici putamus, vt iam in *dubio alterius* teſtimonio Parthenio *Chio* praeſidium nullum ſit. Euſtathius nimirum ad Dionyſ. Perieg. 420. ex Parthenii Metamorphoſibus fabulam de Scylla refert, quae a Minoë ex naui ſuſpenſa, et quidem gubernaculo alligata, in Cirin auem mutata ſit. Prorſus eodem modo res narratur in Ciri, carmine latino, quod Virgilio tribui ſolet, vbi igitur notat Illuſtris Heyne, probabile videri, *poetae ante oculos fuiſſe ipſum Parthenium, cuius legendi et latine conuertendi ſtudium in-*

ter poetas latinos magnum fuerit; hoc vero de Parthenio *Nicaeno* valere, mox intelligetur. Accedit quoque, quod ſic demum Ouidii conſilium in metamorphoſibus conſcribendis apertius eluceat, ſi ante eum graecus poeta romanis probatiſſimus huius generis amorem et imitandi ſtudium excitaſſet. Quae quidem praemiſimus, vt non ſine cauſſa accuratior de hoc Parthenio diſputatio inſtituenda videretur.

Eius igitur *aetas* a Suida ſatis definitur, qui bello Mithridatico captum Romae libertati reſtitutum narrat. Sed antequam attingamus ea, quae ad ingenium viri declarandum faciunt, videndum de Virorum Doctorum ſententia, qui *Erotica*, quae ſub *Parthenii Nicaeni* nomine feruntur, *celebrioris illius poetae* reliquias putarunt. Hoc vero opuſculum a *poëta* quodam, quamuis ſoluta oratione, compoſitum eſſe, non dubium eſt, quum ipſe auctor verſus quosdam ſuos intexat, quo forte addes, quod in prooemio ὑπομνημάτων τρόπον ſe illas narratiunculas congeſſiſſe ſcribit, quas ſimili uſui amico fore ſperat, quem monuerat ante, vt, ſi qua apta viderentur, carminibus ea ſuis, et latinis, amplius exornaret. *Plutarchum* quoque *teſtem* citant, qui in Parall. min. narrans fabellam de Cyanippo quodam et Leucone, quae item Eroticorum c. 10. exponitur, ſubiungit: ὡς Παρθένιος ὁ ποιητής. Sed num ante oculos habuerit *illos commentarios*, vix affirmes, ſaltem nulla inde verba depromta ſunt, et quodammodo etiam narratio variata. Nam apud Plutarchum Leucone occultat ſe ἔν τινι συνδένδρῳ. τῶν δὲ κλάδων σεισθέντων οἱ κύνες θηρίον εἶναι δόξαντες eam dilaniant. Apud Parthenium illa εἰς τὴν ὕλην καταδύνει, αἱ δὲ τοῦ Κυανίππου κύνες ἐδίωκον μὲν ἔλαφον, οὖσαι δὲ οὐ πάνυ κτίλοι ἅτε δὴ ἐκ πολλοῦ ἠγριωμέναι ὡς ἀσ-

Φρή-

φρήσαντο τῆς κόρης ἐπηνέχθησαν αὐτῇ. Leuis diuersitas igitur extitit, aut quod ex memoria citaret Plutarchus, aut alium quendam Parthenium innueret, aut eiusdem Parthenii non commentarios illos, sed eandem fabulam ab eodem in carmen redactam. *Quodsi autem poeta fuit* Eroticorum auctor, vt ne dubites eundem fuisse Parthenium inter Romanos celeberrimum, efficiet eius amicitia cum *Gallo*, elegiarum auctore inter latinos probatissimo, cuius deperditis scriptis haud aequo animo caremus, huic enim inscripta esse, atque huius usui concinnata Erotica, prooemium docet.

Illa ipsa vero Galli familiaritas ad *commendandum* Parthenium non est nullius momenti; accedit tamen *doctrinae eius admiratio*, quam maximam declarat Suetonius fuisse in *Tiberio* Caesare, qui *Euphorionis, Rhiani et Parthenii scripta et imagines in bibliotheca publica inter veteres et praecipuos auctores collocauerit, adeo his poëtis delectatus, vt eos graecis carminibus imitari conaretur. Virgilius* antea in graecis Parthenium doctorem habuerat, et quaedam illius *suis versibus expressit* (Macrob. 17. Gellius 9. 9.) v. c. Moretum, si recte in aliquo codice notatum est. Maximam laudem *elegiis* debuisse Parthenium innuit forte Suidas, qui ἐλεγοποιὸν vocat, neque Eroticae narrationes abhorrent. Eodem genere clarus fuit, cum quo coniungitur, Euphorion. Propius ad eius ingenium declarandum ducit locus apud Lucianum de scrib. hist. qui quum monuisset, in describendis regionibus, locis, montibus historicum non debere praeter necessitatem multum esse, vel poetis antiquis v. c. Homero, eam sobrietatem curae fuisse monstrat, qui Tantalum, Ixionem, Tityum, alios, verbo tantum perstrinxerit, 'ει δὲ Παρ-

 θένι-

θένιος ἢ Εὐφορίων ἢ Καλλίμαχος ἔλεγε, πόσοις ἂν ὅιε ἔπεσι τὸ ὕδωρ ἄχρι πρὸς τὸ χεῖλος τοῦ Ταντάλε ἤγαγεν, εἶτα πόσοις ἂν Ἰξίονα ἐκύλισε; Quam quidem micrologiae notationem peritus quisque ad genium feculi facile interpretabitur, rem ipſam, etiamſi non teſtimonio conſtaret, ex temporum ratione aeſtimaturus. Ne autem cetera veſtigia negligamus, ad *Moretum* quod attinet, non magis forte Parthenium illud oſtendit, quam ipſius verſio aut Bucolica Virgilium, attamen Illuſtris Heynii bonum iudicium expertum eſt. *Excerpta porro Erotica* multo etiam minus faciunt ad poetae ingenium cognoſcendum, ſed tamen videmus eum elegiſſe fabulas, quae neque abſurdae nimis, nec ſine delectatione eſſent, poetico vero ornatui crebras occaſiones praeberent, has autem, licet breuiter, iucunde tamen, bona oratione expoſuiſſe; ſaltem in his nihil eſt, quod poeta melioris notae indignum iudices. Vtinam vero ſaepius conſilii putaſſet, ſua quaedam carmina adſpergere, qua ratione ſex verſus ſaltem ex loco aliquo de Byblide et Cauno ſeruati ſunt, quos hic exhibemus:

Ἡ δ᾽ ὅτε δὴ ὀλοοῖο κασιγνήτου γοὸν ἔγνω
Κλαῖεν Ἀηδονίδων θαμινώτερον, αἵτ᾽ ἐνὶ βήσσῃ c)
Σιθονίῳ κέρω πέρι μύριον αἰάζεσι.
Καὶ ῥα κατὰ συφελοῖό σαρωνίδος αὐτίκα μίτρην
Ἀψαμένη δειρῆν ἐνεθήκατο. Ταὶ δ᾽ ἐπ᾽ ἐκείνῃ
Βεύδεα παρθενικαὶ Μιλήσιδες ἐῤῥήξαντο.

Vides in paucis verbis, quae nec loco in carmine integro, nec re ipſa magni momenti fuerunt, non deeſ-

c) Βήσσῃ epitheton, quo magis definiatur, requirit, adde igitur Σιθονίῳ. Melius ſane βήσσῃς, et Σιθονίῳ κέρῳ, et forte ita ſcripſit Parthenius.

deeſſe ornamenta poëtica, omnino loquendi rationem bonam et res ad ſenſus pingentem, licet illud de luſciniae querelis vulgare nimis. Maximam artem ſine dubio impenderat poëta in deſcribendum amorem Byblidis infauſtiſſimum, eundemque Cauno declarandum. Cetera igitur laudabili breuitate abſoluit, adeoque loquacitas, quam Lucianus innuit, non ita nec Parthenio neque aliis inhaeſit, vt non viderent, quid ad propoſitum ſpectaret quidue minus, ſed potius eo ſpectat, quod omnino in rebus paruis ſaepe diligentiam et loquendi copiam exprompſerint. Si paulo ſeuerius iudices, primi tres verſus nimis fluunt et neruis carent, resque, ſi breuiter, at fortius dicenda erat; tres reliqui bene ſe habent, et quod inueniet, quibus non placeat: *ταὶ δ' ἐπ' ἐκείνῃ* etc. non ſine arte, ſaltem non ſine neceſſitate additum eſt. Demas quaeſo, etiamſi verſus non hiaret, quaeres, quod ſubſtituas; et ſi ſentis quaerendum eſſe, nec monente me intelligis, quanta vtilitas metamorphoſium fuerit in eiusmodi fabulis, vt vel hoc nomine, vbi liceret, eas quaeſitas eſſe non mireris. Alia tamen via Parthenius ſe expediit, neque adeo ex Metamorphoſibus eius fragmentum petitum eſt, addit enim: *Φασὶ δέ τινες καὶ ἀπὸ τῶν δακρύων κρήνην ῥυῆναι ἰδίαν τὴν καλουμένην Βυβλίδα.* Porro ſequitur, eum hanc fabulam aut omnino non recepiſſe in Metamorphoſes, aut de his, quum illa ſcriberet nondum cogitaſſe, nimis enim fragile eſſet argumentum, quo quis auctores diuerſos fuiſſe oſtendat. Aliud fragmentum ex Parthenio, ſed incertum an ex Nicaeno, ſeruauit Euſtathius ad Il. *β. v.* 712. (exſcripſit Kuiterus ad S. ... m) ex Stephano Byzantino, apud quem tamen male mutilatum hodie non legitur. *Ἐστὶ δὲ καὶ κώμη Κιλι-*

κίας Γλαφύραι καλυμέναι — — ἐν ᾗ πηγὴ ἀπὸ ῥωγάδος καταῤῥέουσα καὶ συνιοῦσα τῷ εἰς Ταρσὸν ἐμβάλλοντι ποταμῷ. περὶ ἧς Παρθένιος γράψας ἄλλα τε λέγει καὶ ὅτι παρθένος Κιλίκων ἀνακτορίαν ἔχουσα

Ἀγχίγαμος πέλε καὶ καθαρῷ ἐπεμαίνετο Κύδνῳ
Κύπριδος ἐξ ἀδύτων πυρσὸν ἀναψαμένη
Εἰσόκε μιν Κύπρις πηγὴν θέτο, μίξε δ' ἔρωτι
Κύδνε καὶ νύμφης ὑδατόεντα γάμον d).

Habes hic quidem *metamorphosin*, sed eam depromtam esse *ex ipso Metamorphosium opere*, non est, quod cum Kustero certius affirmem.

Iam post Parthenium, excitatus, vt videtur, exemplo recenti, nominandus est

Ouidius,

de cuius Metamorphosibus, quae ad nostrum consilium spectant, ceteris auctoribus recensitis subiicientur.

Nec tam certa quidem quam probabili temporum aestimatione hoc loco memoramus *Dorotheum* et *Theodorum*, metamorphosium scriptores, Plutarcho scilicet, qui eos allegauit, aut aequales aut maiores.

Dorotheus

citatus a Plutarcho in Parall. min. p. 311. F. in fabula de Phoco Aeaci filio, a Telamone fratre, cui exosus erat, inter venandum interemto; hoc nar-

d) Itaque puella regia fluvii amore insanit furibunda facibus arreptis ad ripas Cydni oberrans ipsa tandem in aquam mutatur. Non satis integrum est iudicium de loco mutilo. Ἀγχίγαμος, de aetate, vt videtur; si recte ita legitur. Καθαρῷ, ex natura huius fluuii; cf. Holsten. ad v. Ταρσὸς Steph. Byz.

narrare Dorotheum ἐν πρώτῳ μεταμορφώσεων. Fabula quomodo metamorphosibus intexta fuerit, ignoramus, narrata forte res vt multa eiusmodi apud Ouidium, quae non propius ad metamorphoses spectant. Paulo antea pagina eadem A. Plutarcho laudabatur:

Theodorus;

et suspicari licebit, quamquam affirmare non item, diuersitatem tantum ex nominum confusione ortam esse, cuiusmodi nomina saepius permutata et promiscue adhibita videmus, vnde et ap. Fabric. *Theodorus s. Dorotheus.* Sed ex *Theodori* μεταμορφώσεσιν citatur Θεοδ. ἐν ταῖς μετ. vnde *argutari* quis posset, quod *liber* non additus sit, vt in Dorotheo, Theodorum non scripsisse plures libros Metamorphosium, sed *librum singularem*, adeoque auctores esse diuersos; sed *argutari* inquam; narrat igitur ex Theodoro Plutarchus fabulam de *Myrrha* eodem modo, quo est apud Ouidium, expositam, et vel hoc indicio, quoniam fabulae narratio sic paulo est prolixior nec breuiter iucunde satis absolui potuit, affirmauerim etiam de hoc Theodoro, quod de Dorotheo apertius constat, eum fuisse ex scriptorum genere, qui metamorphoses, vt ita dicam, *historicas* enarrarent, neque adeo, vt nonnulli, sui ingenii figmenta in *plantarum* originibus exposuisse, quamquam Myrrha in *arborem* mutata eo nos ducere videbatur. Plutarchum exscripsit Stobaeus p. 403. iisdem verbis eandem fabulam ex Theodoro exhibens.

Adrianus Sophista.

Huius viri splendidam vitam, celebritatem et gratiam apud Athenienses et Romanos qui amplius

cognoſcere cupiunt adeant Philoſtratum de vitis Sophiſt. II. p. 582. Ipſa Suidae verba poſuiſſe ſufficiet: Ἀδριανὸς Σοφιστής, μαθητὴς Ἡρώδου (Attici illius Rhetoris celeberrimi). ἤκμασε δὲ ἐπὶ Μάρκου Ἀντωνίνου, ἀντισχολαστὴς Ἀριστείδου τοῦ ῥήτορος, ἐν Ἀθήναις γενόμενος. Ἐσοφίστευσε δὲ καὶ κατὰ Ῥώμην, καὶ ἀντιγραφεὺς τῶν ἐπιστολῶν ὑπὸ Κομμόδου ἐγένετο (ſec. Philoſtr. eo munere non functus eſt, delato ſcilicet grauiter aegrotanti, quo morbo ſuper ipſis Commodi litteris expirauit.) ἔγραψε μελέτας καὶ ΜΕΤΑΜΟΡΦΩΣΕΙΣ ἐν βιβλίοις ἑπτά, περὶ ἰδεῶν λόγου ἐν βιβλίοις πέντε, περὶ τῶν ἐν ταῖς στάσεσιν ἰδιωμάτων ἐν β. τρισί, ἐπιστολὰς καὶ λόγους ἐπιδεικτικούς, Φάλαριν, παραμυθικὸν ἐπὶ Κέλερα. Scripſit igitur *Metamorphoſes*, quae tamen, quod cum μελέταις quodammodo coniunguntur et aliis ſcriptis *rhetoricis*, videntur *ſtilo rhetorico* elaboratae fuiſſe, quales διεξηγήσεις Sophiſtarum nouimus.

Neſtor.

De eo vide Prolegomena Needhami ad Geoponica in ed. rec. p. LXII. Patria ille *Larandenſis*, ἐκ Λυκίας ſec. Suidam quum Stephano Λάρανδα ſit πόλις Λυκαονίας. Sed Lycaoniam in Lycia ponere Ptolemaeum Meurſius notauit ad Heſych. Miles. *Floruit* Neſtor ſecundum Suidam ſub Severo imperatore, et Metamorphoſes ſcripſit eiusdem teſtimonio et Menandri Rhetoris cap. περὶ λαλιᾶς: γέγραπται δὲ καὶ Νέστορι ποιητῇ καὶ σοφιστῇ (ita Meurſ. ad Heſ. Mil. recte, in Aldina σοφιστοῖς) μεταμόρφωσις φυτῶν καὶ ὀρνέων. *Ingenium* viri ex eo noſcas, quod ſcripſit Ἰλιάδα λειπογράμματον. Satis tamen bene in Metamorphoſibus ſe expediit, ſi ex illis depromtae ſunt narrationes huius generis *in libro XI. Geopon.* qua

qua in ſententia fuit *Hallerus*, adſtipulante *Schneidero* V. C. Reric. in Anthol. p. 12. cf. not. *N[illegible]ſii* V. C. ad XII. 16. „*in quo horto Neſtoris* (ἀλεξικ[illegible]) *forte natae ſunt fabulae, certe quaedam earum, de quibus ad XI.* 2. „ bene ibi: *quaedam* ſaltem; *certe non omnes*, nam ſi Neſtor *verſibus* ſcripſit, eius non putandae ſunt illae, quae quaſi calamiſtris inuſtae et variatae antitheſibus *oratoriis*, ita vt nunc leguntur, apud *Sophiſtam* aliquem reperiebantur.

Incertae aetatis ſcriptorem metamorphoſium, et alias ignotum, citauit Antoninus Liberalis c. 13.

Didymarchum

μεταμορφώσεων γ. in fabula de *Batto*.

Antoninus Liberalis.

Quis fuerit, *quando* vixerit, incertum; ſcribendi ratio quum ſatis bona ſit, ſcripta vero citentur iam pridem deperdita, auctorem *antiquum* credere licet, forte non multo iuniorem *Aebutio Liberali*, cui libros de beneficiis Seneca inſcripſit, quemque laudat epiſt. XCI; *Marco Antonio Liberali* Rhetore, Palaemonis aemulo, de quo in libri de claris Rhett. parte deperdita egerat Suetonius; in Chronico Hieronymi Euſeb. *ſub Claudio* Imperat. ponitur. *Non* tamen *eundem* eſſe *Metamorphoſium* ſcriptorem et *Rhetorem* illum latinum Ioſephus Scaliger credidit p. 192. ad Euſeb. (cui *Antonius* dicitur), nec non Voſſius de Hiſt. gr III. 16. 6. quem mouit, nominum *Antonii* et *Antonini* diuerſitas et quod *graece* alter ſcripſerit, *graecosque* citauerit auctores, alter Rhetor *latinus* fuiſſe perhibeatur. Pro *eodem* habuerunt I[illegible]ſ. Caſaub. ad Sueton. Rhet. ſed ſine additis cauſſis; Abrah. etiam Berkelius, qui monſtra-

 vit

uit tantum, non esse mirum, si *romanus* homo *graece* scripserit. Haec fere Fabricius B. G. II. p. 678. qui et *fontes libri* recenset. Sunt enim collectae metamorphoses 41. pleraeque cum nominibus auctorum, qui eas tractauerint, praescriptis. Ita laudantur: *Antigonus* ἐν ταῖς ἀλλοιώσεσιν, c 23. *Apollonius Rhodius* ἐν ἐπιγράμμασι, 23. *Areus Laco* ἐν ᾄσματι Κύκνῳ, 12. *Athanadas* Ἀμβρακικοῖς, 4. *Boeus* ἐν ὀρνιθογονίᾳ, 3. 11. ex l. 1. c. 7. l. 2. c. 16, 18, 19, 20, 21. *Corinna*, 10. ἑτεροιουμένων, α. c. 25. *Didymarchus* μεταμορφ γ'. 13. *Hermesianax* λεοντίῳ β'. c. 39. *Hesiodus* ἐν μεγάλαις Ἠοίαις, 23. *Menecrates Xanthius* λυκιακοῖς, 35. *Nicander* c. 2, 35. ἑτεροιουμένων α. c. 4, 22, 23, 38. β'. 13, 17, 30, 31. γ'. 1, (2, dubito). δ'. 8, 9, 10, 12, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 32. *Pamphilus* α. c. 23. *Pherecydes* 33. *Simmias Rhodius* Ἀπόλλωνι, 20. *Carent auctorum nominibus* fabulae 5, 6, 14, 15, 34, 36, 37, 40, 41.

Antoninum vero Liberalem ita narratiunculas ex poëtis recensuisse, vt pressius ipsum *modum* atque *ordinem* rerum tractatarum sequeretur, crebra forte *poetici sermonis vestigia* satis docent; nec tamen, vbi *plurimorum* nomina praescripta sunt, *ea* religiositas apparet, qua in argumento simili *Parthenius dissensum* auctorum diligenter notauit, vnde in ceteris eos *consentire* intelligas. Notabile in Antonino Liberali, quod c. 23. quum nominasset alios, vltimo loco Apollonium Rhodium ἐν ἐπιγράμμασι, addidit: ὥς φησι Πάμφιλος ἐν α. Certe igitur non ante oculos erant Apollonii Epigrammata, forte iam desiderabantur aut rariora erant. *Ordo* fabularum nullus est, casu forte et codicum fato turbatus, *vestigia* quaedam in numeris supra expositis animaduertes; etiam

etiam, quod auctorum nominibus careant fabulae nonnullae, temporum forte iniuriae tribuendum. Neque adeo integrum nos habere libellum facile crediderim. Caremus igitur plurimis momentis, quae de *consilio* in colligendis hisce metamorphosibus explorati aliquid dare potuerint; sed frequentes olim fuerunt eiusmodi Συναγωγαὶ, in *mythico* maxime et *physico* genere. Certe *non* est Sophistae opus ad ostentationem artis et eloquentiae, quale Adriani forte fuit, vix etiam ad similem vsum factos quasi commentarios dicas, cui repugnare videtur fragmentorum ex Boeo natura.

Metamorphosium quoque titulo *Lucius* quidam, Patrensis, opus inscripsit, vnde Lucianus Asinum suum adornasse videbatur Photio cod. CXXIX. quamquam subdubitanti prius, vtrum Luciani διήγησιν amplificauerit Lucius. v. Fabric. B. G. V. p. 829. Sed quo loco illae metamorphoses habendae sint, docebit imitator *Apuleius*, scilicet a nostra disputatione alieno. De *Lactantio*, quem putant Ouidianum opus soluta oratione imitatum esse, cuius libri non nisi breuiarium superfit, Munkerus disputat in praef. ad Mythogr. Lat. *Maximi Planudis* metamorphoses ex ipsis Ouidianis graeca prosa expressae in Bibliothecis ineditae latent.

III. *Comparatio aliqua graecos inter Metamorphosium scriptores et Ouidium.*

Iam ad *Ouidium* vt redeat disputatio, eum in *consilio uniuersi operis* ante oculos et in animo habuisse *graecos scriptores*, aut eorum in hoc genere lobores ignorasse, necesse est. Verum id agendum, vt videamus, num accuratius quaedam in hoc asserto, adhibita qualicunque comparatione, constitui

tui queat. Si quis autem *consensus* est seu qua *diuersitas* in ipso lusus poetici consilio, tum in *rebus tractandis* tum in *ordine et modo* eas exponendi conspiciatur necesse est; quid autem bene et feliciter excogitatum sit, quid minus, intelliges, si iudicium ad oblectandi studium referas, quo unice omnes ductos esse non est obscurum. I. Itaque *rerum et fabularum delectum habuisse* omnes omni in genere metamorphosium non dubitamus, delectum etiam in variis eas ornandi modis, quem argumenta toties retractata et variata non admittere solum sed postulare videbantur, qua tamen in re felix Ouidii studium non nisi per transennam ostendere licebit, comparatione cum fabulis, quales sunt apud Antoninum Liberalem Nicandri pleraeque, Ouidio etiam modo breuius modo fusius tractatae. In quibus si discrepantiam non exiguam deprehendes, quid Nicandri non sit in Ouidio manifestum erit, sed non item, quid nec Parthenio aliisque, sed Ouidii ingenio debeatur. — Sed quod in rerum delectu maxime ad *Ouidii* consilium spectat, dubites autem, an in quoquam ante fuerit, ille, quum aliorum conamina totumque mythologiae campum perlustrando intelligeret, quae vis esset verbi, si metamorphoses dicas, *ex toto genere, cui illud nomen tribuas, opus concinnandum* sibi proposuit, adeoque ex Theogoniis et philosophorum placitis, obseruationibus naturalibus et mirabilium rerum enarratoribus ceterisque fabularum et historiarum generibus quae huc spectarent praecipua capita vno complexu oculis subiecit. In hoc igitur qui ei praeiuerit nemo memoratus est. II. Porro *in narrandi genere et ordine* si omnes vidisse existimandi sunt, certe, si quis alius, perspectum habuit Ouidius, non tam

in

in *ipsis metamorphosibus* esse illud, quod praecipuam gratiam operi conciliaret, quam potius in *mythis ac fabellis*, quae communi illo vinculo iungerentur, *has* adeo summa arte exponi et amplificari debere. In quem autem alium illa cadent, quae ab omnibus Ouidii propria aestimantur, quod separatis narratiunculis et diuulsis quasi membris constare opus noluit, sed *continuata serie et temporum ordine seruato* omnes fere *variandi orationem modos historici et dramatici generis* in vsum suum conuertit? Sane quid tandem Graecorum in hoc genere principes *Nicander* et *Parthenius* secuti sint, non satis constat; probabile est *singulas fabulas singulis carminibus* expositas fuisse, non tam quod ordinis seruati vestigia desiderentur, quam quod in Nicandro, si ex Antonino Liberali iudicium satis tutum est, religiositatem quandam, qua enixius allaborasse videtur, vt metamorphosium quasi rationem redderet, a *continuati operis* indole, quale Ouidianum est, alienam putauerim; nempe adiuncta sunt plerumque, in quibus originem figmentorum satis aperte, nec sine delectatione, deprehendas; prooemia quoque, nisi Antoninus de suo quaedam addidit, sunt fere prolixiora. Quod autem Ouidio primum vna quasi tela pertexere suas fabellas placuit, fuisse credimus in recepto Graecis metamorphoses narrandi more, quod ita in melius mutandum videretur; saltem ea ratione, quam ipse secutus est, aptiorem et iucundiorem cogitare vix licet, qua ipsis illorum miraculorum temporibus interesse et per hanc ipsam rerum naturam, in qua omnia ista fiunt, rapi nobis videmur; quid? quod lubentius personis inductis Orpheo, Pythagorae aliisque animum aduertimus, quam poetae, in quo vno non erat

tanta narrandi varietas. His enim bonis ſatis compenſari putamus, quod nexus fabularum nimiam ſaepe artem prodit, et ingenioſo interdum in meris vocibus luſu nititur. Quodſi autem propter ipſa iucunde narrandi artificia non ſatis enucleate res expoſitae videbuntur, cogitandum eſt, mythos illos quondam notiores fuiſſe, item attigiſſe nonnulla obiter, quae vberius perſequi nollet, haud ingratam et quaeſitam poëtis doctrinae et eruditionis ſpeciem feciſſe. Scimus etiam ſerioribus poetis bono conſilio praetermitti multa praerepta a prioribus, neque dubium eſt, eandem Ouidio ſaepius cauſſam fuiſſe, cur perſtringeret multa leviter, quae feliciſſiman copiam ſuppeditare potuiſſent. Hoc vero concedentibus Ouidii manibus, imo iubentibus, licebit, vt neque tibi, nec tuis temporibus ſcriptas eſſe metamorphoſes cogites. Attamen hoc genus, quantumque a noſtra aetate abhorreat, ſi eo ſenſu, quo debebas, iuſtaque ſcientia, quamquam id eſt difficillimum, ad Ouidianum opus accedas, quaſi floridiſſimum ſertum ex hortulorum cultiſſimorum ubertate et varietate collectum dices, ſeu, quidquid unquam in poeſi feliciter tentatum eſt, eius unum libellum praeſtantiſſima complecti ſpecimina; tanta arte philoſophemata, religiones, pugnae, amores, laeta ac triſtia, variaeque has res tractandi rationes ad optimorum auctorum, graecorum et romanorum, veterum ac recentiorum, exempla copulatae ſunt; quamquam eadem illa varietas, ne diſcrepet nimis et vt in Chao quodam elementorum pugnam ſiſtat, viuido et iucundo ingenii Ouidiani colore temperatur. Boni erit interpretis et ad propoſitum idonea lectione inſtructi ſingulis exemplis, quae in uniuerſum neminem fere la-

latent, ſeu neruis quibusdam, ſeu luminibus, inſtruere, quamquam ipſam illam ſpem infringit monumentorum veterum penuria; quo maius tamen pretium ſtatuendum Ouidio, qui et multorum deperditorum ex poetis maxime Alexandrinis artificia adumbret. Sunt quidem paſſim notata nonnulla ex hoc genere Viris Doctis, vbi Homerum imitetur Ouidius, vbi Heſiodum, Euripidem, Periegeticos, miraculorum ſcriptores, et ſic porro, ſed ea hic repetere et augere nouis obſeruationibus huius ſaltem inſtituti non videbitur, in quo iam nec ſupereſt quidquam, niſi vt ipſam comparationem fabularum, quae apud Anton. Liberalem occurrunt, cum Ouidianis, addamus, conſilio vel eam ob cauſſam non inutili, vt ipſa variandarum fabularum et in melius mutandarum ratio et artificia ſic intelligantur apertius, Ouidium vero conſtet bono delectu eorum, quae et ipſius ingenio et ſeculi exiſtimatione digniſſima eſſent, non exiguam laudem meruiſſe.

Comparatio fabularum, quas Ouidius cum Antonini Liberalis auctoribus communes habet.

Κτησυλλα 1. ap. Ant. Lib. *a*).

O. M. VII 368. ſeqq. tribus verſibus fabula innuitur: *Tranſit* (Medea) *et antiquae Carthaeïa moenia Ceae, Qua pater Alcidamas placidam de corpore natae Miraturus erat naſci potuiſſe columbam:* Sec. Nic. ap. A. L. Cteſylla nata eſt Iulide, viderat eam Hermochares ludis Pythiis *παρὰ τὸν βωμὸν τȢ̃ Ἀπόλλ. ἐν Καρθαίᾳ.* Metamorphoſis fit Athenis vbi moritur Cteſylla. *Qua* igitur apud Ouid.

a) ἱϛορεῖ Νίκανδρος Ἑτερ. γ.

Ouid. latius accipiendum erit de insula Cea, quam primariae vrbis mentione facta periphrastice indicat poëta. Pater Alcidamas non Carthaeae, sed Iulide habitabat.

Μελεαγρίδες. 2. *b*).

Pleraque haud discrepant. Atalantae caput apri dedisse Meleagrum non habet Nic. ap. Ant. Lib. Ab Ouidio bellum Curetum etCalydoniorum omittitur, ex Homero notum, cadit igitur Meleager sine pugna ignobili morte, cremata face fatali a matre absumtus: sec. Nic. in praelio interficitur, nec tamen nisi post taedam *) illam igni immissam. Ouidiana ratio aptior est ad miserationem mouendam. Ouidius ex numero sororum in aues mutatarum eximit Gorgen nurumque Alcamenes, i. e. Deianiram, ita et Nic. monuit; alteram enim constabat Andraemoni, alteram Herculi nupsisse. v. Apollod. I 8. 1. Antoninus Lib addit aues Meleagrides a Diana hac forma donatas in Lerum insulam absportatas esse; vbi scilicet Meleagrides Dianae sacrae alebantur. cf. Aelian. H. A. 4, 42. et 5, 28.

Κραγαλευς 4. *c*)

Fabula est ex iucundissimis et ingeniosissimis ap. Ant. Lib Ouidius eam attigit XIII. 713: *certatam lite Deorum Ambraciam, versique vident sub imagine saxum Indi is.* Humanae saxi aut montis formae non meminit Ant. Lib.

Περι-

b) ἱϛ. Νίκανδρος γ.

(*) Itaque coniunxit Nic. duos narrandi modos, quos separat Apollod. I. 8. 3.

c) Νίκ. α. Ἀθανάδας Ἀμβρακικοῖς. cf. supra p. 35.

Περιφας. 6. *d*).

Ouidius fabulam perftringit VII. 399, fqq. *intrat* (Medea) *Palladias arces, quae te, iuftiffime Phineu, Teque, fenex Periphα, pariter videre volantes.* Putant fcribi debere fec. Ant. Lib. iuftiffima *Phene*, quae vxor effet Periphantis, fimul in auem mutata, fed Φήνη eft nomen auis, in quam illa mutata fertur, *iuftiffimae* autem epitheton cur huic feminae tribuerit Ouidius, nec marito potius, cui optimo iure debebatur fec. A. L., non apparet. Fabulam tamen de *Phineo* in auem mutato alias ignoramus.

Ημαθιδες. 9. *e*).

In Mufarum cum Pieridibus certamine carminum ipfarum argumenta refert Ouidius, Nicander diuerfam eorum indolem ab effectu depingit; Mufarum cantus fuauitate tota rerum natura delinitur ac laetius ridet, ad Pieridum ftrepitum caligine et nubibus inuoluitur. Apud Ouidium victae in picas vertuntur omnes, Nicander argutatur in diuerfis nouem auium nominibus.

Μινυαδες. 10. *f*).

Φιλεργοὶ etiam Ouidio. In nominibus leuis difcrepantia; Ἀλκαθόη Antoninus Lib.; Ouidius: *Alcithoe*; Planudes: Ἀρσινόη. Leuconoë ap. Ouid. eft Antonino Lib. Λευκίππη. Ἀρσίππη Antonino Liberali dicta non nominatur ab Ouidio, fed tamen ex tribus fororibus illa eft, quae a v. 36. confabulationem

d) auctores non additi ap. A. L.

e) Νίκ. Ἑτ. δ.

f) Νίκ. Ἑτ. δ. καὶ Κόριννα.

nem orditur. Haec vero confabulatio, qua plurimae narrantur metamorphoses, Ouidianum inuentum est, ex ipso, quod secutus est, operis consilio adornatum. Ap. Ant. Lib. Bacchus Minyades sub puellae primum forma hortatur, vt debitos Deo honores concedant, tum renuentibus illis in leonem et taurum et pardalim mutatus aliisque prodigiis Deum se ostendit: apud Ouidium sacrum bacchicum a sacerdote indicitur, solae non parent Minyades, operisque intentae festum profanant; sic tandem Bacchus ultor adest, non conspiciendus quidem, sed signis solitis, strepitu bacchico, hedera propullulante, mellisque et lactis riuulis excitatis se prodens. Apud Ouidium mox sub vesperam mutantur feminae et quidem omnes in vespertiliones. Apud Anton. Lib. furore bacchico correptae filium Leucippes dilaniant, hinc in siluas se proripiunt, tandem in diuersas volucrum species vertuntur, inter quas est vespertilio.

Αηδων. 11. *g*)

Auctor, ex quo narrat Antoninus Lib. hanc fabulam, mythum antiquum de Tereo et Pandionidibus ita immutavit et consilio sui operis aptauit, vt in summo dissensu comparatio cum Ouidianis VI. 424. vtiliter institui haud queat.

Κυκνος. 12. *h*)

Cycnus ad Hyries lacum Aetoliae pertinens memoratur Ouidio VII. 371. sqq. Laudanda ibi breuitas, qua fabula exponitur sine ornamentis puerili-

g) Βοῖος ἐν Ὀρνιθ. *h*) Νικ. Ἑτ. γ. καὶ Ἀρεὺς Λάκων ἐν ᾄσματι Κύκνῳ.

rilibus, quae videas ap. Ant. Lib. Θυρίη mater Cycni ap. A. L. item in *olorem* mutatur, sec. Ouidium delicuit in *stagnum*, quod κυκνείη λίμνη appellatur A. L. antea Κωνώπη dictum, Ouidio *Hyrie*.

Μουνιχος. 14. *i*)

Ov. XIII. 717. *Chaoniosque sinus, vbi nati rege Molosso Irrita subiectis fugere incendia pennis.* Ipse etiam pater, Munichus, mutatur in auem ap. A. L.

Οινοη. 16. *k*)

Pygmaea mater Ouidio VI. 90. victa certamine a Iunone, ideoque in gruem mutata; Boeo, quod Deos inprimis Iunonem contemneret, hac poena afficitur.

Λευκιππος. 17. *l*)

Apud Phaestios in Creta ex femina in marem mutatus, Latonae beneficio sec. Nicandr., Isidis, Ouidio. Nomina Leucippi et parentum Λαμπρȣ̃ et Γαλατείας mutauit Ouidius in Iphin, Ligdum et Telethusam. Apud Nicandrum implorat mater opem Latonae, quum in ea aetate esset Leucippus, vt sexus latere amplius non posset; apud Ouidium, invento iucundiori, ipso nuptiarum die. In precibus matris omissus Ouidio, apud Nicandrum additus, similium metamorphosium recensus, nec minus sacrorum ex hoc miraculo apud Phaestios rituum expositio; pro ea titulus in templo consecratus Ouidio debetur. Nuptiarum, quae maxime or-

 nant

i) auctor non additus ap. A. L. forte est Boeus.

k) Βοῖος ἐν Ὀρνιθογ. β.   *l*) Νίκ. Ἑτ. β.

nant locum Ouidianum, nullam fecit Nicander mentionem.

Τεραμβος. 22. *m*).

Dubitant intt. an reſpiciat hanc fabulam Ouidius VII. 353. ſqq. Equidem nullus dubito. conſenſus eſt in loco: *Othryn, et euentu veteris loca nota Cerambi:* ἐν τῇ γῇ τῶν Μηλιέων παρὰ τὴν ὑπώρειαν τῆς Ὄθρυος. nomen viri *Cerambus* ſonat Ouidio Sed tamen *varie narrata eſt* fabula, antiquior forte ratio fuit Ouidiana, longe aliam ſecutus erat Nicander. Commune et illud, quod a Nymphis mutatur Cerambus, ſed iratis ſec. Nic., propitiis ex Ouidii ſententia; in auem Ouidio, vt videtur (ſublatus in aera pennis), in ſcarabaeum fere cognominem Nicandro (ſcarabaeus κεράμβυξ dicitur, adeoque, ſi etymum in hac fabula valuit, Τέραμβος forte vitioſe pro Κέραμβος ſcriptum eſt).

Βαττος. 23. *n*).

Battus Nelei dicitur Lactantio lapis circa Pylum factus. Eundem locum Ouidius innuit M. II. coll. vv. 684. 68?. non accuratius ille definitur ap. Ant. Lib. qui tamen in itinere Mercurii *poſt Maenalum montem* nominat Βάττου σκοπιάς. Sec. Ant. Lib. Apollo in Theſſalia Admeti ſuaque armenta paſcit. Hinc Mercurius abactas boues per longum terrarum tractum, quod iter, praecipuis locis indicatis, inter alia etiam Batti ſpecula, deſcribitur, tandem in antro

m) Νίκ. Ἑτ. α.

n) Νίκ. Ἑτ. α. καὶ Ἡσίοδος ἐν μεγ. Ἠοίαις. καὶ Διδύμαρχος μεταμ. γ. καὶ Ἀντίγονος ἐν ταῖς ἀλλοιώσεσι. καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἐν ἐπιγράμμασιν ὥς φησι Πάμφιλος α.

tro Coryphasio abscondit: Ouidius has ambages, nescio quam ob caussam, declinans. Apollinem in Elide aut Messenia collocat, cuius incuria boues in Pylium agrum aberrant, vbi Battus Nelei equos seruat; boues a Mercurio in siluis occultantur. Dolos, quibus furtum perficitur, accuratius explicat Ant. Lib.; Ouidius breuiter, at docte, *arte sua* Mercurium vsum esse innuit. Pro Chlaena bos est merces silentii Batto promissa sec Ouid. In graeco Βάττȣ σκοπιὰ locus dicitur; ex imitatione in alium lusum incidit Ouidius: *in durum silicem* Battus vertitur, *qui nunc quoque dicitur index*; *inque nihil merito vetus est infamia saxo.* Vellem non cogitasset de lapide Lydio, nam is iure et bene meritus index dicitur.

Ἀσκαλαβος. 24 *o*).

Mismae nomen non est ap. Ouid. V. 449. Puer ridet auidamque vocat Deam. Nicandro irridens ille auidius bibenti Cereri iubet urnam aut situlam afferri.

Μετιοχη και Μενιππη. 25. *p*).

Ita vocantur Orionis filiae ap. Ant. Lib. nomina non habet Ouidius M. XIII. 693. morte voluntaria, radiis textoriis peremtae, patriam a peste liberant. sec. Ant Lib. corpora virginum Proserpina et Pluto e conspectu auferunt, proque iis stellas ex terra excitant, quae, in caelum sublatae, cometae dicuntur. Festa iis annua ciues instituunt, templum ad Orchomenum consecrant, vocantque Κορωνίδας Παρ-

o) Νίκ. Ἑτερ. δ.

p) Νίκ. Ἑτερ. δ. καὶ Κόριννα Ἑτερ. α.

Παρθένους, cuius nominis ratio non intelligitur. Breuius rem Ouidius narrat, nec tamen ſine miro diſſenſu. Cadunt virgines pro populo, efferuntur corpora, cremantur, iam vero *de virginea fauilla, ne genus intereat, gemini exeunt iuuenes, quos fama Coronas nominat.* Pro ſtellis illis ap. Ant. Lib. hic habes iuvenes, pro Coronidibus Coronas, ſed rationem figmentorum aut confuſionis aſſequi non licet.

Ιφιγενεια. 27. *q*)

Pro ea Dianae beneficio, quae nubem oculis ſpectantium obiecerit, inter officium turbamque ſacri ceruam ſuppoſitam et mactatam eſſe Ouidius narrat XII. 34 apud Nicandrum ora ab inhumano ſpectaculo auertentibus principibus Ἄρτεμις μόσχον (ταῦρον deinde, quae vox luſui etymologico inſeruit) ἔφυσε παρὰ τὸν βωμόν, ipſam Ipigeniam in Tauricam abripit ad Thoantem, procedente tempore in Leucen inſulam, vbi Achillis tumulus erat; hic ea Ὀρσιλοχία dicta.

Τυφων. 28. *r*)

In fuga Deorum ap. Ouidium mutatur ipſe Iupiter, qui cum Minerva, cuius Ouidius non meminit, tranquillus remanſit ſec. Nicandrum. Sed ap Ouid rem narrant Pierides ad contemtum Deorum. Apollo coruus fit Ouidio, ἱέραξ Nicandro; Mercurius ibis vtrique, etiam Diana felis. Venus non nominatur ab Ant. Lib. apud Ouidium in piſcem mutatur (v. 33). Haec metamorphoſis ſec. alios fit inter Syros, cf. ſupra S. II.), Bacchus fit caper

q) Νίκ. Ἑτερ. δ.

r) Νίκ. Ἑτερ. δ.

caper vtrique; Iuno vacca Ouidio, ſed omiſſa Iunone alii plures Dii mutantur ap. Ant. Lib.

Γαλινθιας. 29. s)

Galanthis O. M. IX. 306. ap. A. L. Μοίραι et Ἐιλείθυια ſedent κρατοῦσαι τὰς ἑαυτῶν χεῖρας. Ipſa Iuno, apud Ouidium, in ara ſedet, bracchia in genibus digitis connexa tenens. In exponendo poenae modo multa in melius mutata Ouidio; ſed forte illa: ϑορίσκεται etc. quae poetam non decebant, Antonini Liberalis ſunt, explicant enim ea, quae magis decenter et poetice praemittuntur, at obſcurius dicta. Diſcimus ex Ant. Lib. ſacra facta eſſe Galinthidi, muſtelamque Hecatae ſacram fuiſſe.

Βυβλις. 30. t)

In genealogia Mileti diſſenſus. Mileto exilii cauſſa eſt, quod timebat ſibi ab eo Minos, ſec. Ouidium; ap. Nicandrum fugit Minois amorem Miletus, ducit filiam regis Cariae Idotheam, quae eſt Cyane filia Maeandri in Ouidianis. Ap. Ant. Lib. Byblis ſtatuit, ne amorem ſuum in fratrem prodat, de ſaxo ſe deiicere; mutatur in flumen a Nymphis. Contra apud Ouidium fratri illa declarat amorem, et renuente demum Cauno et fugiente, in aquam plorando deliqueſcit.

Μεσσαπιοι. 31. u)

His reſpondet fabula apud Ouidium XIV 514. de paſtore Appulo in oleaſtrum verſo. In prooemio

s) Νικ. Ἑτερ. δ. t) Νικ. Ἑτερ. β.

u) Νικ. Ἑτερ. β.

mio ap. Ant. Lib. de originibus Meſſapiorum vix omnia Nicandro debentur. Fabula ſpectat ad certum locum νυμφῶν καὶ παίδων παρὰ τὰς λεγομένας ἱερὰς πέτρας, cf. Ouid. 514. ſqq. Antrum nymphis ſacrum et templum oleaſtris opacum occaſionem praebuit, vt pueri agreſtes, qui ſaltando cum Nymphis contendere auſi eſſent, in has arbores mutati fingerentur. Ouidius aliter rem exornat; vnus eſt paſtor, qui Nymphas ex antro fugat, deinde irridet ſaltantes et imitatur.

Δρυοπη. 32. x).

Apud Ouidium IX. 336. Dryope venit ad ſtagnum aliquod cum filio puero, loti florem, carpit, quod autem in lotum olim Lotis nympha mutata fuerat, ipſa in lotum Dryope a Nymphis mutatur, quas coluerat impenſe, adeoque indigno modo. Apud Anton. Lib. metamorphoſis beneficii loco habetur. Filius iam adultus, Amphiſſus, Apollini patri templum aedificat, in quo mater a nymphis abripitur, pro ea alnus ex terra editur, iuxta hanc aqua. Iam Nymphis quoque aedem dedicat Amphiſſus. Amorem Apollinis in Dryopem vix attigit Ouidius; Nicander vberius exornauerat dolum quo decepta eſſet Dryope, ſed non ſatis bene excogitatum.

Σμυρνα. 34 y).

In Graeco Theias eſt pater, Myrrha vero detecta fraude abortum facit. Ouidio pater eſt Cinyras,

x) Nic. Ἑτερ. α. y) auctor non additus.

ras, ſed portentoſe nimis Myrrha arbor parit. Apud Ant. Lib. Myrrha εὔχεται μήτε παρὰ ζῶσι μήτ' ἐν νεκροῖς φανῆναι. Hanc formulam in hac fabula receptam fuiſſe declarat Ouidius, qui ſimiliter X. 485. ſqq. *ne violem viuosque ſuperſtes Mortuaque extinctos, ambobus pellite regnis*, et vbertate ſolita idem aliis verbis repetens: *Mutataeque mihi vitamque necemque negate.* Sec. Ant. Lib. Theias ſe interimit.

Βȣκόλοι 35. z).

Ruſtici Lycii in ranas mutati, quod Latonam aqua, quae eſt ap. Ant. Lib. Μελίτη κρήνη citra Xanthum, prohibuerant. Iuncos legunt ſec. Ouidium. Ap. Ant. Lib. ſunt bubulci, qui boues potant, Latona vero vti aqua cupit ad abluendos infantes, quod cur mutatum ſit ab Ouidio indicant illa: *Non ego noſtros Abluere hic artus laſſataque membra parabam, ſed releuare ſitim.* Ap. Ant. Lib. Latona hinc excluſa ad Xanthum flumen fert infantes, lupis viam monſtrantibus (vnde terra, Trimilis ante, Lycia dicta ſit et Xanthus factus ſit ſacer Apollini), reuerſa autem poenas ſumit a contemtoribus, quas lapide aſpero percuſſos in ranas conuertit; pro quo apud Ouidium decentius *tollit ad ſidera palmas.*

Δωριεῖς. 37. a).

Prooemium ap. Ant. Lib. exponit Diomedis errores, fortunam in Italia et mortem. Sepeliunt eum Dorienſes in inſula Diomedea, quos aliquando ad

z) Ἱϛορεῖ] Μηνεκράτης Ξάνθιος λυκιακοῖς καὶ Νίκανδρος.

a) auctor non additus.

ad tumulum Diomedis ſacra facientes Illyrii barbari cunctos inſidiis ſtructis trucidant. Διὸς δὲ βουλῇ τὰ σώματα μὲν ἠφανίσθη τῶν Ἑλλήνων, αἱ δὲ ψυχαὶ μετέβαλον εἰς ὄρνιθας. Ouidius Virgilium ſequitur, qui aliter fabulam narrat.

Λυκος. 38. b).

Peleus poſt caedem Phoci fratris luſtratur ab Eurytione Iri filio, quem ipſe poſtea inter venandum imprudens iaculo interficit; abit ad Acaſtum, hinc ad Chironem Centaurum, colligit greges et armenta, quae offert Iro multam pro caeſo filio; hanc Irus recuſat, relinquit tamen armenta Peleus oraculo monitus; ea lupus inuadit et trucidat, qui in ſaxum mutatur, conſpiciendus olim ἄχρι πλεῖςυ μεταξὺ Λοκρίδος καὶ τῆς Φωκίδος γῆς. Melius fabula eſt adornata apud Ouidium M. XI. 346. ſqq. coll. 266. ſqq. Peleus Phoci caede commiſſa abit ad Ceycem Trachiniae regem, ſed celat crimen. Mater Phoci, Pſamathe Nerei filia (hanc quoque Ant. Lib nominat), nondum placata muneribus lupum illum immittit armentis Ceycis, qui Peleum caede pollutum hoſpitio exceperat. Dea non niſi intercedente Thetide iram deponit, tandem in lapidem lupum conuertit.

Αρκεοφων. 39. c).

Arceophon et Arſinoe Ouidio Iphis et Anaxarete. Pater Arſinoës, Nicocreon ap. Ant. Lib., ſuperbus genere, quod a Teucro ducebat, et regia apud

b) Ἰς. Νίκ. Ἐτ. α. c) Ἱςορεῖ Ἑρμησιάναξ Λεοντίῳ β.

apud Salaminios poteſtate, Arceophontem natalibus Punicis obſcurum generum accipere dedignatur. Patre iam orbata eſt Anaxarete ſec. Ouid. XIV. 741. ſed tamen genus a Teucro ductum memoratur v. 698. Ap. Ant. Lib. Arceophon matrimonii ſpe excluſus ad clandeſtinos amores Arſinoën ſollicitat ope nutricis corruptae; nutricis perfidia per ipſam puellam declaratur parentibus ac barbaro more et inhumano punitur, vt iure haec omnia omiſiſſe videatur Ouidius. Arceophon inedia vitam finit; Iphis ſe ante fores Anaxaretes ſuſpendit. Arſinoe *πρὸς ὕβριν ἐκ τῶν οἰκίων ἐκκύψασα* funus ſpectat Arceophontis; Anaxarete, *quam iam Deus vltor agebat, Mota tamen, videamus, ait, miſerabile funus* etc. Quae habet Ouidius de templo et ſtatua Anaxaretes ſeu Veneris proſpicientis apud Salaminios, non leguntur ap. Ant. Lib.

Αλωπηξ. 41.

Fabula de cane et vulpe in ſaxa mutatis; addita eſt alia de Cephalo et Procride. In Apollodori Bibliotheca III. 15. p. 272. ſqq. leges nonnulla parum decenter narrata in hoc mytho, eiusmodi etiam plura habet Antoninus Liberalis; feliciſſima igitur arte ita fabula immutata eſt, vt exponitur iucunde ab Ouidio M. VII. 690. ſqq. Comparationem inſtituamus, quam fieri poteſt, breuiſſime. Apud Ouid. 720. ſqq. Cephalus ipſe tentat Procridis fidem, mutata figura; ſec. Ant. Lib. per ſeruum ignotum pretio eam ſollicitat. Ouidio v. 745. a Cephalo profuga Procris in montibus errat, et a Diana iaculum et canem mirabilem dono accipit. Apud Ant. Lib. monita oraculo ad Minoëm illa ſe confert

confert et ab eo donatur iaculo et cane, ob caussam minus honeste et decenter expositam. Quod autem Ouidii v. 749. fatetur Cephalus, se quoque *potuisse* tantis muneribus oblatis simili succumbere culpae, hoc vere accidit sec. Ant. Lib. Nam ipsa Procris similiter fidem Cephali tentat sumto virili habitu et oblato cane et iaculo. Hoc teneatur necesse est, vt et ars Ouidii in re exponenda eluceat, et melius intelligantur vv. 687. sqq. *Quae petit, ille refert, sed, quae narrare pudori est, Qua tulerit mercede* (scil. canem ac iaculum) *silet.* A. v. 759. incipit narratio de cane in lapidem mutato, quum vulpem insequeretur; quamquam vulpes non nominatur Ouidio, sed *fera*, vniuerse, et descriptio lupum potius indicat. Vulpes illa sec. Ant. Lib. Amphitryonis tempore Thebanis molesta erat; Amphitryo Cephalum cum cane arcessit. Melius haec Ouidius exornat. Fera illa poenae loco immittitur in Thebanos a Themide; caussa est Sphinx occisa; adeoque tempora sunt non Amphitryonis sed Oedipodis. Historiam de Procride interemta ab imprudente Cephalo non habet Antoninus Liberalis.